GENNADII

PECCATVM

SATISFACTIO

GRACIA

IVSTIFICACIO

SATISFACTIO

PECCATVM

1537


V
B
C
756 - 758
CIMELIA

D. PROSPERI EPISCOPI RHEGINENSIS LIbri tres multo eruditissimi, nunquam antehac typis excusi, quorum

Primus est de uita contemplatiua & sacerdotum officio.

Secundus de uita actiua, & quomodo praepositi subditos suos regere debeant.

Tertius de uitijs & uirtutibus, & quibus causis haec uel nasci, uel augeri soleant.

Cum alijs nonnullis opusculis lectu dignissimis, quorum catalogum uersa pagella indicat.

Cum priuilegio Caesareo.

COLONIAE
Ioannes Gymnicus excudebat
Anno M. D. XXXVI.

Petri Damiani Hostiensis episcopi de ecclesiastica institutione ac simoniacæ hæreseos confutatione, liber unus.

Eiusdem de excellentia S. Ioannis Baptistæ, homiliæ duæ eruditæ.

Accesserunt & Diui Orsiesis monachi antiquissimi Regulæ de institutis monasticis diuino sale conditæ.

ORNATISSIMO VIRO FRIDERICO NAVSEAE SAcræ theologiæ & utriusque Iuris professori doctißimo, rerumq; sacrarum scriptori, & concionatori ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinensis facundißimo, Ioannes Gymnicus S. P. D.



Acit ut undequaqꝫ doctissime humanissimeqꝫ, tua pro Repub. ac doctrina Christiana diligentia: faciunt conatus & labores, quos in reparando et conseruando Dominico grege, assiduis indefatigatis fructuosisqꝫ concionibus, apud populum Moguntiacum iam per multos annos feliciter sustines: faciunt denique exquisitissimæ lucubrationes tuæ, & sacrarum rerum commentarij per te disertissime scripti, quibus & hos quoqꝫ officio & beneuolentia tibi obnoxios reddis, qui in eodem illo atqꝫ pulcherrimo curriculo, munere scilicet instituendi plebem Christianam, tecum occupantur: adeo ut per totum pene Christifidelium orbem immortalem nominis tui gloriam adipiscaris. Inuitat & me publicus de te rumor, tuaqꝫ erga me summa humanitas, ut si qua in re possem, lubens tibi gratificarer. Quanquam ego primum pro communi tuo erga rē literariam studio, deinde pro singulari tuo erga me affectu, in officio gratitudinis uel mihi uni satisfacere minime queam, tibi sanè ni-

hil tali tuo nomine dignum possum adferre. Est tamen genus quoddam gratitudinis, quo te in præsenti prosequi possum, gratulari uidelicet tuarum uirtutum & studiorum erga rem literariam, omnesq́; sacrarum literarum studiosos magnitudini, quod dum studeo, bona quadam fortuna effectum est, ut insigne & planè aureum opus D. Prosperi Rheginensis ecclesiæ præsulis, de uita contemplatiua (sic enim inscribitur, quamquam mihi propius intuenti longe plura in recessu continet, quàm titulo promittitur) ad nos imprimendum allatum est. Hunc thesaurum euulgatum, mei animi ut sit apud te testimonium, uolo tuo nomini studiosos debere. Scio enim fore gratum uel hoc nomine, ꝙ magnam tu quoq; diligentiæ partem ponis in scriptoribus ueteribus ecclesiasticis, ex situ & puluere in lucem proferendis. Nec dubito quin placebit argumentum, utpote his temporibus conuenientissimum: placebunt sententiarum acumina, argumentorum uires, filum etiam orationis doctum quidem & subtile, nec iniucundum, testimoniorum ex sacris penetralibus, omnibus disputationibus aspersum copiosissimè, ut nō male Gennadio uideatur singulari diligentia hoc opus esse elaboratum.

Vale. Coloniæ ex nostra Typographia.

Anno. M. D. XXXV.

Mense Nouemb.

VITA PETRI DAMIANI EX TRITHEMIO in libro de ecclesiasticis scriptoribus.

PETRVS Damiani ex monacho diui patris Benedicti episcopus Hostiensis, & sacrosanctæ Romanę ecclesiæ Cardinalis, uir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio mitis & acutus, eloquio placidus & compositus, & ad persuadendum satis idoneus, non minus sanctitate q̃ eruditione clarus & insignis effulsit. Qui exemplo magni Gregorij antistitis amore solitudinis & quietis episcopatum suum deserens, posteaq̃ illũ annis aliquot strenue gubernauerat, ad cœnobium suum reuersus est, & uitam deinceps cum fratribus suis in tranquillitate animi exegit. Cum autẽ à summo pontifice charitatiua increpatione argueretur, cur episcopatum utpote uir utilis & idoneus dimisisset amore salutis priuatæ, ad tres sibi inuicẽ succedentes: Nicolaum secundum, Alexandrum secundum, et Gregorium septimum Romanos pontifices apologeticos ædidit, in quibus autoritate, ratione & exemplo factũ suum humiliter excusans, animos eorum placauit. De cuius opusculis subiecta feruntur. Ad Leonem heremitam, utrũ solitarius orans horas canonicas, debeat etiam dicere, Dominus uobiscum, quando nemo sit qui respondeat, opusculum instructum quod prænotatur.

Et alia multa que non uidi. Claruit sub Henrico rege quarto. Anno domini M. L.

INCIPIUNT TITULI CApitulorum in librum Petri Damiani.

CAP. I.

QVod Christus charismatum dona per ministros uerbi sui distribuit.

CAP. II.

Quod sacerdos exterius ministrat, sed deus inuisibiliter consecrat.

CAP. III.

Quod sicut unus est qui baptizat, ita unus idemq; est qui principaliter consecrat.

CAP. IIII.

Quod dominus cum baptismo simul & sacerdotij iura susceperit.

CAP. V.

Quod nulla sit causa cum rebaptizari quisq; non audeat, cur debeat iterum consecrari.

CAP. VI.

Quod ordinatio si sit catholica, sit etiam rata.

CAP. VII.

Quod Balaam simoniacus fuit, & tamē prophetiæ spiritum non amisit.

CAP. VIII.

Quod reprobum Saulem cū satellitibus suis propheticus spiritus occupauit.

CAP. IX.

Quid doctores de baptismo, & dominici corporis eucharistia sentiant.

CAP. X.

Non mirum, si spiritus sanctus ab indignis accipitur, cum & ipse dei filius ab impijs sit comprehensus.

CAP. XI.

Quod donum dei nulla ministrorū contagione polluitur.

CAP. XII.

Quod siue uerbi siue sacramenti minister, dei donis non possit subsistere.

FINIS.

GENNADIVS IN CATALOGO *illustrium uirorum.*



PROSPER homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prętitulata legi, continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum scripturarum fidem, usq; ad obitum Valentiniani Augusti, & captiuitatem urbis Romæ à Genserico Vandalorum rege factam. Legi & librum aduersus opuscula suppresso nomine Cassiani, quæ ecclesia dei salutaria probat, ille infamat nociua. Re em̃ uera Cassiani & Prosperi de gratia dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ. Epistolæ quoq; papæ Leonis aduersus Eutychen, de uera Christi incarnatione ad diuersos datæ, ab ipso dictatæ creduntur.

IOANNES TRITHEMIVS IN *libro de ecclesiasticis scriptoribus.*

PROSPER episcopus Rheginensis post Fauentium, natione Aquitanicus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, carmine excellens & prosa, eloquio disertus, sensu profundus, ingenio subtilis, assertione neruosus, uita & conuersatione sanctissimus apparuit. Hic beati Leonis papæ magni quondam nota-

5 rius

rius fuit, et multas in eius persona epistolas dictauit. Scripsit etiam de sua uena multa præclara opuscula, de quibus ego tantum repperi subiecta.

Ex sententijs beati Augustini episcopi uersibus hexametris et pentametris mixtum prosa, opus pulcherrimum quod prænotare uoluit.

Epigrammata.	Lib. I.
Dum uita contemplatiua.	Lib. 3.
De libero arbitrio.	Lib. I.
Ad capitula Gallorum responsiones.	Lib. I.
Ad obiecta Vincentianorum.	Lib. I.
Ad excerpta Genuensium.	Lib. I.
Summam grandem 330 positionum.	Lib. I.
Contra Cassianum de libe. arbi.	Lib. I.
Chronicon historiarum.	Lib. I.
Epistolarum ad diuersos.	Lib. I.
De illustribus uiris.	Lib. I.
De captiuitate Romæ.	Lib. I.

Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, sed ad manus nostras non uenerunt. Claruit temporibus Leonis imperatoris magni. Anno domini CCCCLX. cuius festum celebratur septimo Calend. Iulij.

INCIPIT PROLOGVS BEATI PROSPERI AD *Iulianum pontificem, de uita contemplatiua.*



DIV multum'qꝫ renisus sum uoluntati tuæ domine studiosissime Pontificum Iuliane, non uelut peruicaciter durus, sed propriæ impossibilitatis admonitus: uidebatur enim mihi, & iure forsitan uidebatur, quod etiam ipsi præsumptionem meam potuissetis improuidæ temeritatis arguere, si tantam rem quæ utique esset operose tractāda, facile ac sine ulla deliberatione susciperē, cum me oporteret prius ipsius rei pondus unde dicendū foret expendere, & sic adiuuante domino si uires facultas explorata promitteret, ad hoc arripiendum, quod iuberetis, accederem. His & talibus sollicita consideratione perspectis, necessarium duxi, ut me aliquandiu ad scribendum præsumptione suspenderem. Sed quia sicut cogitanda fuit iniuncti operis difficultas, ita cogitari debuit iniungentis autoritas, nec uolui nec debui usquequaque resistere, certus quod uires meas multo amplius adiuuaret tua præcipientis oratio, quàm grauaret ipsius materiæ magnitudo. Deinde illa consideratio animum meum suis uirtutibus diffidentem in audaciam subeundæ præceptionis uestræ perduxit, quod iam non humilitatis esset, perseueranter tenere silentium, sed superbiæ ultra rennuere, quamuis infirmis ceruici-

Al. pertinaciter.

al. uiribus

cervicibus onus impositum, cui oneri sustinendo, & si me mea rusticitas faciebat inualidum, uestra fieri credidi fide qui iubebatis idoneum. Hoc quoq; mihi audendi aliquam fiduciam dabat, quod magnarum rerum magnus ipse conatus esset profectus, etiam si nullus disputantem sequeretur effectus. Siquidem necessariarum tractatio quæstionum, & si non instruit inuestientis quod quærit animum, exercet saltem quærentis ingenium, ut aut nouerit se quærēdo & nihil inueniendo nescire, quod se forte nosse præsumpserat, & ignorantiæ suæ consequenter admonitus, quod sibi deesse uiderit, quærat, quod inuenerit teneat, & quod tenuerit, diligenter exerceat, aut si quod sibi de diuinis literis propositum fuerit, salubriter tractare, & sufficienter explicare potuerit, non de inuentione ueritatis infletur, sed in domino qui eum intus illuminauit, ut illuminanda cognosceret, glorietur: quandoquidem scientia, sicut sine dono dei, quod est charitas, inflat, ita si ei charitas admisceatur, ædificat, ac per hoc qui de deo loqui uoluerit, aut nihil dicit, & nulla eum præcipitat inflatio, aut si aliquid dixerit & se crediderit à deo accepisse quod dicit, habet unde deo gratias agat, non habet quod ingenij sui uiribus electus adscribat. Sed iam ipsa capitula quæ utcunq; soluenda proposuistis, retexam. Itaq; iubetis, ut paucis edisseram, quæ sit uitæ contemplatiuæ proprietas, & quid inter ipsam & actiuam uitam intersit, quanta possum breuitate distinguam, utrum is cui ecclesię regendæ uita commissa est, contemplatiuæ uirtutis fieri particeps possit, utrum æquanimiter sustinendi sint diuina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant ecclesiastica

Magnarum rerum conatus profectus est.

Ad perseuerantem.

1. Cor. 8

siastica seueritate argui, utrum congregandis fratribus aut alendis expediat facultates ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni, quæ sit abstinentiæ credenda perfectio, & utrum tantum corpori, an et animę necessaria debeat iudicari, quantum à uirtutibus ueris uirtutū similitudines distent, quibus præcedētibus causis & subsequentibus incrementis nasci soleant uicia uel augeri, & quibus possint adiuuante domino remedijs, uelut quibusdam medicamentis imminui uel sanari: quot modis uel gradibus unaquæq; uirtus possit impleri, & an uera illa philosophorum sententia, quæ uirtutum omnium uelut fontes quasdam quatuor uirtutes, uicia quoque quatuor, uelut quasdā origines malorū oīm definiuit. Hæc sunt nimirū decem, quæ à me uoluistis endari capitula, non ut absolutio eorum uobis aliquid cognitionis afferret, sed ut uestra magis cura, si regulariter imperatum munus impleuero, nonnihil ædificationis talium studiosis horum & his similium capitulorum explicatione conferret. Cæterum si tu ea nescires, nunquam tanto ordine dilucidanda proponeres. Ideo autem uoluistis cognita uobis disputationibus illustrari, ut aut me si aliquid secus hęc ratio habet, exponerem, faceretis emēdari uel corrigi, aut certe per solicitudinem uestram meumq; sermonem ad aliorum noticiam possent catholice disputata perduci. Nunc igitur quæ sit uitæ contemplatiuæ proprietas domino uestris orationibus adiuuante tractemus.

PROLOGI FINIS.

INCI-

INCIPIUNT CAPITULA libri primi Prosperi.

CAP. I.

Quod ea sit uitæ contemplatiuæ proprietas, ubi dominus mundo corde uidebitur.

CAP. II.

De qualitate uitæ futuræ.

CAP. III.

Quod eo iudicio dei ab iniquis hominibus separandi sunt sancti, quo ante sunt beati angeli ab immundis spiritibus separati.

CAP. IIII.

De resurrectione, uel uita sanctorum.

CAP. V.

Quod præsentium contemptores etiam hic contemplatiuæ uitæ beatitudo delectet.

CAP. VI.

Quod perfectio contemplatiuæ uitæ quæ hic haberi potest, illic perfectioni futuræ comparari non possit.

CAP. VII.

Quod dominum perfecte sancti uidere non possint, nisi cum ad beatitudinem futuræ uitę peruenerint.

CAP. VIII.

Quæ & quanta sit in hac carne uitę contemplatiuæ perfectio, uel qualiter ei perfruendæ mundi contemptores inhæreant.

CAP. IX.

Quod tantum interest inter perfectionem uitæ istius & futuræ, quantum interest inter perfectos qui peccare nolunt, & eos qui peccare iam non possunt.

Cap. x.

uel in-

CAPITVLORVM LIB. I. FINIS.

¶ INCIPIT LIBER ¶ PRIMVS BEATI PROSPERI de contemplatiua uita Quod ea sit uitæ contemplatiuæ proprietas, ubi deus mundo corde uidebitur.

CAPVT I.



ONTEMPLATIVA VIta in qua creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata atq; ex omni parte sanata uisura est à contemplando, id est, uidendo nomẽ accepit. Quod si ita est, illa uita ubi DEVS uideri potest, ipsa est contemplatiua credenda. In præsenti autem uita miserijs erroribusq; plenissima, deum sicuti est, uideri non posse, dubium non est. In futura igitur uita quę ob hoc appellatur cõtemplatiua, uidendus est, nec immerito: Si enim uidere deum, summum solidumq; est gaudium, summum gaudium pręmium bene creditur beatorum, & pręmium non adhuc pugnantibus, sed etiã uincentibus dabitur post triumphum, quis non uideat, quòd omnes sancti deum in illa uita æterna uidebũt, ubi sine fine gaudebũt? Ibi gaudebunt, ubi præmiũ reportabunt, ibi recepturi sunt pręmiũ, ubi nõ solum deuictis, sed etiã finitis hostibus triumphabunt, ibi triũphabũt ubi ulterius aduersarium non habebunt. Ceterum in hac uita quãuis strennue dimicemus, & adiuuante domino cateruas

Deum uidere summum beatorũ gaudium.

Al. timebunt.

hostium quibus circũfundimur prosternamus, tamen si ab eis nolumus uinci, nũquam pugnare desinamus. Nec uincentes securos faciunt uiriliter desudata iam prelia, sed magis sollicitant aduersariorum rediuiua certamina, ac sic quia secundum scripturæ sacræ sermonem tota humana uita tentatio est super terram, Iob.7 tunc est tentatio finienda, quando finitur & pugna, & tunc est finienda pugna, quando post hanc uitam succedit pugnę secura uictoria, ut omnes milites Christi qui usq; in finẽ uitæ præsentis diuinitus adiuti, suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosa iam peregrinatione transacta regnent felices in patria. In qua humana natura ita reparanda est, & ab omni prorsus infirmitate sananda, ut nec peccata ei ulla remaneant, nec peccare iam ualeant. Cuius hoc erit totum præmium, ut uitæ contemplatiuæ semel compos effecta, inexplebiliter autorem beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo q̃d sperauit obtineat, & in eo quod sancte uiuendo peruenerit, sine fine permaneat.

De qualitate uitæ futuræ Cap. II.

IAM uero de qualitate ipsius uitæ futuræ quid dicam, quæ potius debet credi quàm dici? Nec ideo tamẽ debeo inde tacere quod ualeo: quia dicere quantum uolo non ualeo: Neque enim quia DEVM ineffabilem credimus fari de illo quod possumus non debemus, ita sane ut plus credatur de illa uita quàm scribatur, quia nec potest tantum inde proferri sermone, quantum potest mente complecti, & minus concipit mentis humanæ quamlibet profunda cõplexio, quàm se habet rei ipsius magnitudo. Ergo futura uita creditur beate sempiterna, & sempiterne beata, ubi

est cer-

est certa securitas, & secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, fœlix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & unus omnium spiritus de contemplatione dei sui, ac de sua cum illo permansione securus, ubi ipsa ciuitas quæ est angelorum sanctorum & hominum congregatio beata meritis fulgentibus micat, & æterna salus exuberat, ubi nec fallit quisquam nec fallitur: unde nullus eijcitur, quo nullus miser admittitur.

QVOD EO IVDICIO DEI AB iniquis hominibus separandi sunt sancti, quo ante sunt beati angeli ab immundis spiritibus separati. Cap. III.

SEd hoc futurum credimus per iustum DEI iudicium, in quo non solum meritis, sed etiam locis sic ab iniquis iusti separandi sunt in æternum, ut iam nec remuneratis præmium finiat, nec damnatis supplicium: quandoquidem propterea incorruptio et immortalitas dabitur etiam corporibus miserorum, ut nec ipsi æternam pœnam finiant, nec ipsos consumat immortalis pœna, sed puniat. Ideo autem beata incorruptione & immortalitate iustorum corpora donabuntur, ut & ipsi in gloria, & in ipsis gloria æterna permaneat. Hoc iudicium quod inter iustos homines iniustosque futurum dicimus, inter sanctos angelos & immundos credimus factum: Nam cum essent utrique sine peccato creati & ad seruiendum DEO suo feliciter instituti, eorum quidam uoluntate propria deprauati noluerunt permanere quod facti sunt, & cum se contra creatorem suum typo superbiæ lœtalis hostiliter extulissent, de superna cœli regione proiecti

Iudicium futuru inter angelos credit factum.

Esa. 14.

sunt. Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, ut quia noluerũt perseuerare cum possent, nec uellent reparari nec possent. Siquidem præuaricationis eorũ fuit, quod irreuocabiliter iudicij animaduersione percussi sunt, & ad damnationem iustissimam pro fecto pertingent, quod uoluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt, sicut econtrario uoluntatis eorum angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate mãserunt, & diuino iustoq; iudicio actum est, ut quæ fuit cum deo suo manendi uoluntas fieret permanendi uoluntaria fœlixq; necessitas. Et ideo: quia nec peccauerunt unquam nec peccare iam possunt, illius contemplatiuæ uitæ semel facti participes, inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciunt, ac merito suæ stabilitatis in æternum felices effecti de sua permãsione securi sunt. Qui summum solidumq; gaudium quo insatiabiliter perfruuntur de diuina contemplatione percipiunt ac deo suo infatigabiliter & amanter inseruiunt, ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra, nec ualeant.

DE RESVRRECTIONE VEL uita sanctorum. Cap. IIII.

HAec est contemplatiua uita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione peruenerint, beatis angelis similes erunt & simul cum deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderant, ibi uidebunt sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes: & æterna exultatione gaudebunt: diuinæ dilectionis ac mutua delectatione possessi, deo suo in æternum & inuicem sibi feliciter adhærebunt, receptis cum incorruptione atque immortalitate cor

poribus

corporibus municipatum patriæ cœlestis accipient, atq; eius in æternum ciues effecti promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lętitia, tanta cœlestium gratia gaudiorũ, ut & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptiõe sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorũ tanta ibi erit & tam perfecta mũdicia, ut habeant unde mundatori suo DEO gratias agant, nonunde offensi aliquibus peccatorũ sordibus erubescant: quia nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt. Nec latebit iam perfecte beatos aliquid secretorum, qui quod est longe præstãtius ipsum uisuri sunt mundis cordibus DEVM: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit. Cuius humanæ substantię ad conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta peccato corruperat reparabuntur in melius, id est, intellectus sine errore: memoria sine obliuione: cogitatio sine peruagatione: charitas sine simulatione: sensus sine offensione: incolumitas sine debilitate: salus sine dolore: uita sine morte: facilitas sine impedimento: saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo: quoniãquidem quicquid hic corporibus humanis uiciandis aut ferarũ morsus ademerit, aut humana crudelitas amputauerit, aut improuisi casus abstulerint, aut si ignis, uel quælibet alia res aliqd debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiã sanis onerosa negauerit, hæc & his similia corporũ dãna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora

Omia bona post resurrectionem reparabũtur in melius.

Al. facultas.

membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, & si differẽtibus meritis ab inuicem distabunt, omnes tamẽ una perfectione beati erunt, quia singulis præmia sua sufficientia erunt, & capere amplius pręmijs suis iam perfecti nõ poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos ęqualiter habet, quamuis singuli cibum non æqualiter sed ꝑ possibilitate pceperint, ita omẽs sancti & si fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri sunt. Cæterũ in illa tantæ beatitudinis regione nec maioris meriti sibi aliquid quisq; arrogabit: quia arrogantia ibi nulla erit, Nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit. Et ideo & si ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una fœlicitas.

Omnes sancti una beatitudine perfecti erunt.

QVOD CONTEMPTORES præsentium etiam hic contemplatiuæ uitæ beatitudo delectet.

Caput V.

CVi felicitati promerendæ ille suspirat, qui pręsentibus omnibus futurorum contemplatione renunciat, atq; à domesticis occupationibus quę nonnunquam perfecte uiuere cupientium processus impediunt, in illam diuinæ sublimitatem contemplationis euectus, ipsos etiam suæ carnis affectus exuperat, & infra se uniuersa despiciens, quæ plærunq; animas de præteritæ uitæ sanctitate securas in terrena deijciunt, ipsis etiam cœlestibus appropinquat, tanto diuinis uicinior factus, quanto supra humana omnia studio per-

Domesticæ occupationes ꝑfectum impediũt.

Al. dispiciens.

dio perfectionis ascendit, certus quod si contemplatiuam uitam hic in certis honoribus, diuitijs, anxijs & caducis delectationibus plena uoluntate praetulerit ueros honores, securas diuitias, & delectationes aeternas inueniat: cum ad perfectionem contemplatiuę uirtutis in illa beata uita ubi futura est DEO remunerante peruenerit. Et reuera quid erit honoratius eo, quem diuina clementia angelicae dignitatis aequalitate beauerit? Quid ditius eo, quem regni coelestis ineffabiliter affluēs beatitudo ditauerit? Aut quid etiam hic delectabilius contemplatione diuina, quae sibi ueraciter inhianti incorruptibilem suauitatem futurae remunerationis infundit? Quoniāquidē contemplatiua uita hic quoque amatores suos futurorum bonorum consideratione delectat, ac sibi tota mentis intentione uacantes, quantum in hac uita fieri potest, dono sapientiae spiritualis illuminat, & ad illam diuinae plenitudinem uisionis, cuius spem studijs intenti coelestibus gerunt, incentiuo quodam ipsius cōsequendae perfectionis inflammat, ut quod nunc in aenigmate cernunt, nec perfecte discernunt, tunc in illa reuelatione conspiciant.

QVOD PERFECTIO CONTEMplatiuae uitae quae hic haberi potest, illic perfectioni futurae comparari non possit. Caput VI.

QVapropter non sic contemplatiuae uitae sublimitatem in futuro, ubi perfectio perficienda est, prędicaui, ut in praesenti eam nagarem posse ab omnibus mundi contemptoribus apprehēdi, si modo

se ad eam tota deuotione conuertant, si desiderio eius accensi, præsentia blandiměta fastidiāt, & longe fortiores effecti quàm ut eos terrene occupationes illaqueent, diuinis rebus ac futuris promissionibus considerandis inhereant. Sed si consideramus apostoli Pau 1. Cor. 13
li sermonem, quo inter eam sciētiam quæ hic est, & eam quæ ibi futura est, discriminans ait, ex parte scimus & ex parte prophetamus: contemplationem diuinam quæ in hac uita est illi futuræ conferre nec possumus nec debemus: quando idem apostolus adiungat & dicat, cum autem uenerit quod perfectum est, Ibidem.
in illa uita significans, tunc euacuabitur quod ex parte est, ac sic quod modo ex parte sentimus, tunc ad illam plenitudinem contemplationis diuinæ perducti iam perfecte uidebimus. Nec sane quia ibi rerũ omnium noticia non per partes sed simul & tota uidebit, ideo saltem qualiscunq; in hoc fragili corpore desperetur. Et si corpus quod corrumpitur aggrauat animam et Sapien. 9
deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, tamen in quantum potest humana mens, quam suus creator ad suam fecit imaginem, studeat etiam hic intelligibiliter DEUM uidere per fidem, ut eum plenius uideat cum peruenerit munere ipsius conditoris sui ad speciem. Attende quàm diuine sanctus Apostolus speciem fidemq; distinxit ut diceret, Per fidem ambulamus, nõ per speciem. Fides ergo per quã 2. Cor. 5
ambulamus & species quæ uidetur, tenenda est: quia in hac uita ubi per fidem bene uiuendo proficimus bonorum operũ quodammodo passibus ambulamus. In futura autem peruenientes ad speciem, iam nõ erit quod uelut proficiědo ulterius ambulemus, sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando perueni-

peruenimus, insatiabili delectatione uidebimus.

QVOD DOMINVM PERFECTE sancti uidere non possunt, nisi cum ad beatitudinem futuræ uitæ peruenerint. Caput VII.

QVo circa sic hortandi sunt ad contemplatiuam uitam, quicunque plene uoluerint & deo auxiliante peruenire potuerint, ut meminerint sibi ipsius contemplationis diuinæ perfectionem in illa beata uita quæ futura est reseruari, ut ibi deum sicuti est, perfecte uideant, ubi & ipsi erunt uitę ęternę ac regni cœlestis consecutione perfecti. Cæterum si hic perfecte potuisset substantiam DEI humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus euangelista dixisset, Deum nemo uidit unquam. Non dixit, nemo uidebit. Denique ut euidenter ostenderet uisionem dei non negatam sanctis hominibus sed dilatam, quod in pręsenti tempore negauit, in futuro promisit dicens. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Nec hic dixit, quoniam ipsi deum uident. Igitur si deus qui in hac uita sine alicuius elementi assumptione nec potuit uideri nec potest, in futura uita uidendus est. Ibi est contemplationis diuinę spernada pfectio, ubi erit oĩm bonorũ plenitudo. Ioan.1.& 1.Ioan.4. Matth.5

QVAE ET QVANTA SIT IN HAC carne uitæ contemplatiuæ perfectio, uel qualiter ei perfruendæ mundi contemptores inhæreant. Caput VIII.

PRoinde uitæ contemplatiuæ sectator ad conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi cõ-

templando atque insatiabiliter perfruendo uigilanter inseruiat, ipsum iugiter concupiscat, præ amore eius omnia quibus inde potest auerti refugiat, omnes cogitationes suas ac totam spem ex illius delectatione suspendat, literarum diuinarum sacris meditationib9 uacet, in his se diuinitus illuminatus oblectet, ibi se totum uelut in speculo quodam refulgente consideret, quod in se prauum deprehenderit corrigat, quod rectum est, teneat, quod deforme, componat, quod pulchrum, excolat, quod sanum, seruet, quod infirmum, assidua lectione corroboret, domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat, efficaciter impleat, & quid sibi cauendum quidue sectandum sit ex eis sufficienter instructus agnoscat, mysterijs earundem diuinarum scripturarum perscrutandis insistat, Christum promissum legat, repræsentatum uideat, prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat, de salute gentium gaudeat, ex præteritis quæ prædicta sunt & impleta teneat, futuris promissionibus credat, ab strepitu negociorum sęcularium remotissimus, ea feruēter excogitet, quibus animum suum in desiderium futurę remunerationis inflammet, studijs spiritualibus quibus in dies singulos melior ac melior fiat, inuigilet, amet ocium sanctum, in quo exerceat animę suę negotium, mortuū sibi deputet mundum, ac se mundi blandienti illecebris exhibeat crucifixum, delectationis speculatorum pręsentium incomparabiliter anteponat sui creatoris intuitum, semper se proficiēte successu in fastigium diuinę contemplationis attollat, nunquam ne ad momētum quidem a promissionibus futuris considerandis auersus ad terrena respiciat, eo aciem mentis indesinēter intendat,

Ad dilectione.

Sectatoris uitę cō templatiuę parænesis.

Ioan.

intendat, quo peruenire desiderat, beatitudinem uitæ futuræ ante oculos animi sui proponat & diligat, nec metuat aliquid temporale nec cupiat, nec aut metus amittendæ rei temporalis aut cupiditas exquirendę intentionẽ mentis eius emolliat, non eum blanda corrumpant, nec aduersa concutiant, non inflet opinio secunda nec sinistra deijciat, nec falsa uituperatio siue laudatio augeat gaudia eius aut minuat, non gaudeat de temporalibus omnino, nec lugeat. Inter læta inuictus ac tristia unã faciem animo constanti obtineat, nec pectoris eius stabilem firmitatem quicquid promittit mundus aut minatur, excuciat, sed idem semper ac sibi similis perseuerans, mundi huius damna simul & lucra nõ sentiat. Et cum hæc & his similia contemplatiuæ uitæ desiderio affectus impleuerit, non se hic iam ex parte omni perfectum, sed perficiendum in illa beata uita, quæ futura est, immobiliter credat, atque ad eandem se ubi DEI substãtiam reuelata facie uidere possit extendat.

QVOD TANTVM INTEREST INter perfectionem uitæ istius & futuræ, quantum interest inter perfectos qui peccare nolunt, & eos qui iam peccare nõ possunt. Caput IX.

NAm sicut hic comparatione iustè uiuentium dicitur quisque perfectus, quia iustus præcepta facit, perfectus aũt præcepta transcendit, ita idẽ collat᷒ illis absolute perfectis qui in uita beata futuri sunt, non est ut ita dicam perfecte perfectus, cui et si dimissa est omnis iniquitas, non est adhuc sanata, sed sanatᷠ eius infirmitas, & ideo & si nõ peccat, ut sit uero per

fectus,

fectus, peccare tamen potest: quia non est consumpta omni infirmitate sanatus, ac per hoc ubi ab omni peccato mundatus, peccare non poterit, ibi erit perfecte sanus ac summe perfectus. Hic autē quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo huius uitæ perfectus. Sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus, & utiq; ubi est, sollicitudo nō est absoluta beatitudo. Quæ nequaquam perfecta credenda est, si secura nō fuerit, nec secura erit, nisi omnem sollicitudinem securitas æterna consumpserit. Quapropter qui dicuntur in hac uita beati spe beatitudinis futurę beati sunt, ipsa autem re non hic, sed in illa uita beati futuri: quia illic omnium beatorum beatitudo perfecta erit, ubi humana natura sui gloriam conditoris et suam perfecte beatificata uisura est, atq; ei sine ullo defectu suæ beatitudinis adhærebit.

Nulla in hac uita absoluta beatitudo.

QVOD HIC SANCTI DEVM in assumpta creatura uiderint. Caput X.

NEC moueat quod hic quoque à iustis antiquis uisum legimus deum, quia non est in hac humiliatione nostra sic uisus, sicut in illa clarificatione uidendus est, quādoquidem in forma uisibilis creaturæ, in qua pro dispensatione temporum, ubi uoluit & quibus uoluit iustis apparuit, nec potuit nec potest uideri, sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra peruenerit, & mortale nostrum immortalitas beata uestierit, atq; ad contemplationem diuinam uel perceptionem cœlestium præmiorum omes

uere

uere fideles fides ipsa, quã hic futura credebantur impleta perduxerit.

DE QVALITATE GLORIFICATORUM CORPORŨ QUÆ IN RESURRECTIONE FUTURA SUNT. Caput XI.

Ibi diuersi quidem sexus corpora, sed sine ulla concupiscentia corporali futura sunt. Ibi erit omnium perfecta charitas, & nulla cupiditas. Ibi etiam corporales oculos nihil uisibilis creaturæ latebit, quia incorruptibilium corporum uisus usque incorruptibilis erit, & ita sine comparatione uiuacior, quàm hic fuit, ut ei aliquid uisibilium clausum esse non possit. Corporibus quippe immortalitate donatis auferenda est tarditas nõ integritas: necessitas, nõ uoluntas, ut ibi sine temporis mora aut impedimẽto ponderis sint ubi esse uoluerint, atq; eo sequatur sine ulla difficultate spirituale iam corpus, quocunq; ire uoluerit spiritus angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Tunc filiorum, parentum, coniugum miseria, qui ibi nõ fuerint, beatos contristare non poterit: quia nomina omnium necessitudinum corporalium quę hic nostra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis nõ admittit, ubi oẽs quicunq; fuerint, unum corpus erũt, & singuli de sua uel singulorum felicitate gaudebunt. Hæc de contemplatiua uita dicta sufficiant.

QVANTVM INTER CONTEMPLATIUAM & ACTIUAM UITAM INTERSIT. Cap. XII.

IAm nũc quid inter ipsam contemplatiuã et actiuã uitã intersit, breuiter disseram⁹. Quod ut euidẽter eluceat,

eluceat, ipsas sibi inuicem uitas contemplatiuam scilicet & actiuam, prolatis earum uirtutibus cōferamus. Ad actiuam uitam pertinet inter humana proficere, & rebelles corporis motus rationis imperio temperare, ad contemplatiuam supra humana desiderio perfectionis ascendere, & indesinenter augendis uirtutibus incubare. Habet actiua profectum, contemplatiua fastigium. Hęc facit hominem sanctum, illa perfectum. Huius uitæ est, nulli prorsus iniurias irrogare, illius irrogatas, æquanimiter sustinere: imò ut propius dicam, executor actiuæ studet in se peccanti dimittere, Contemplatiuæ sectator, offensas quibus pulsatur nec omnino concutitur, & ignoscere magis paratus est quàm donare. Iste iram patientiæ uirtute compescit, imoderatis cupiditatibus parsimonię frenos imponit. Tangitur desiderijs carnalibus, nec cōsentit, pulsatur mūdi huius curiositate, nec rapitur, quatitur diabolica impugnatione, nec uincitur, & DEO suo deuota mente subiectus, non atteritur diuersis tentationibus, sed probatur. Ille omnes affectiones quibus uita mortalium uariatur sanctis uirtutibus uincit, cupiditatum ac perturbationum omnium liber, beata quiete perfruitur, & illecebris ac uoluptatibus factus expedita mente superior ineffabili gaudio diuinæ contemplationis afficitur. Iste suscipiendo peregrinum, uestiendo nudum, gubernando subiectum, redimendo captiuum, tuendo uiolēter oppressum, iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, & uitam suam bonorū operum fructibus ditat, ille facultatibus suis in usus pauperum distributis, simul se expoliauit mundo, & admouit se totis uiribus cœlo, res mundi mundo proiecit, & seipsum deuota mente Christo restituit, à quo immorta-

Actiuę uitæ uirtutes.

Vitæ contemplatiuæ uirtutes.

Al. ignora.

Al. semel.

immortales diuitias sibi dari orat ut pauper: protegi se cotidie postulat ut infirmus: immortalitatis uestimento uestiri cupit ut nudus: defendi se ab impugnatione inuisibilium hostium supplicat, ut fragilitate carnis oppressus, cœlestem patriam sibi dari desiderat ut peregrinus. Actiua uita habet sollicitum cursum, contemplatiua gaudiũ sempiternum. In hac adquiritur regnum, in illa percipitur. Hęc facit pulsare bonorum operum, uelut quibusdam manib⁹ ianuam, illa uocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa uidebitur deus. Et ut multa prætercam, quæ commemorare non ualeo, in hac uita actiua qui immundis spiritibus extiterint fortiores, in illa contemplatiua, quæ summe beata est, remunerante deo fient angelis sanctis æquales, atque in æternum cum illo regnabunt in illa ciuitate superna felices. Itaque quoniam de contemplatiua uita in superioribus multa iam dicta sunt, & Secundus liber ea quæ de actiua dicenda sunt continebit, sufficiant ista, quæ diximus, ut consideremus & reliqua, quæ de tertio capitulo usq; ad finem libri huius sequẽti disputatione tractabimus. Videamus nũc utrum is, cui ecclesiæ regendæ cura commissa est, contemplatiuæ uitæ fieri particeps possit.

Al. indumento.

Al. donari.

QVOD SACERDOTES SANcti contemplatiuæ uitæ fieri participes possint. Caput XIII.

QVi diligenter ea quæ superius de uita cõtemplatiua dicta sunt considerat, et sufficienter instructus intelligit, quãdo & ubi possit eius perfectio comprehendi, non dubitabit ecclesiarum princeps

uitæ

uitæ contemplatiuæ posse & debere fieri sectatores? quia siue secũdum opinionem quorundã nihil aliud sit uita contemplatiua, quàm rerum latentium futurarumq; noticia, siue uacatio ab omnibus occupationibus mundi, siue diuinarum studium literarum, siue quod his probatur esse perfectius ipsa uisio dei, non uideo quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri, quo minus ad hæc quatuor quæ commemoraui perueniant. Duo enim primũ & ultimum, id est, rerũ latentium futurarumque noticia, & ipsa uisio dei, incõparabiliter pręstantiora erunt in illa uita beata, quàm in ista diuersis erroribus implicata: quandoquidẽ tam rerum omnium noticia, quàm ipsa dei substantia plene & perfecte uidebitur. Duo autem media uacationem uidelicet ab omnibus occupationibus mundi, et diuinarum studium literarum etiam hic possunt habere pontifices, sed illi qui se ab omnibus implicamentis negociorum secularium remouentes non torpent ocio, sed insistunt perfectionis suæ negocio, & ab stulticia secularis sapientiæ auersi, uerbo DEI infatigabiliter uacant sapientes ueraciter uiuunt, cœlestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanæ doctrinæ redarguunt, obedientes instituunt, sanctis uirtutibus, quibus in dies singulos fiant deo propinquiores incumbunt, & tam suis quàm omnium qui per eos erudiũt, perfectibus clari, hic quidẽ uelut gustũ quendã contemplatiuæ uitæ quo ad eam frequentius prouocentur accipiunt, sed sibi iam in æternum felices effecti de eius perfectione gaudebunt. Proinde uero non inflantur: quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur ut capita, sed lætantur potius, quia ibi Christi qui est sacerdotum ac fideliũ caput clariora mem-

Vitæ contemplatiuæ definitio.

Al. fiunt.
Al. instruunt.

Christus fidelium caput

ra membra futuri sunt. Et si (quod absit) secularibus
negocijs impliciti fundorum terminos sine termino
cupiditatis extendant, ac se passim exquisitis delicijs
ditant, quæ animum corpusq; debilitant, si gloriam Al. dedat
non Christi, sed suam decepti uulgi adulantis honori
bus quęrant, plusq; de se alienæ linguæ quàm suæ cõ-
scientiæ credant, si omne gaudium suum non futuro-
rum remuneratione, nec in sanctitate uitæ, sed in sua
tantum dignitate constituant, et dum tales esse se, qua
les creduntur amant, nunquam sibi displiceant, ac pla
centes sibi non sint de sua correctione solliciti. Quis
non intelligat tales si in talibus perseuerent, nec se an
te finem uitæ præsentis emendent contemplatiuę ui
tæ participes esse non posse, ad quam non perueniunt
nisi qui studuerint esse quod facti sunt. Nec affectãt
uideri, sed esse quod sunt, non alienis laudibus, sed mo
ribus suis eximij, non solum de sua dignitate, sed po-
tius de sacerdotalis uitæ nobilitate conspicui, qui sunt
non appellatione tenus, sed uirtute pontifices uitę cõ
templatiuæ capaces, & gaudiorum cœlestium cohæ-
redes.

VBI LOCVTOR SE EXCV- sat quod ecclesiæ magistros docere non audeat. CAP. XIIII.

AC ne cuipiam meus sermo prę sumptuosus ap
pareat, si quales non esse uel esse debeãt om̃es
sacerdotes ostendat, non generaliter, sed de uno mi-
hi uideo esse dicendum, & de te potissimum qui hoc
mihi (tua pace dixerim) temere delegasti periculosi
sermonis officium. Nec incognita uobis, sed usitata
debeo comprehendere, quæ solemus inter nos mu-

Al. confe- tua collatione conferre. Quibus breuiter declaratis,
bulatione non puto quod relationem magis quàm disputationẽ meam quisquam iuste possit alicuius temeritatis arguere, quasi patres meos audeã docere, à quibus normam uiuendi accipere sum paratus & discere.

DE NEGLIGENTIA SACERdotis qui in doctrinæ suæ agendo contraria personã nõ potest implere doctoris.

CAP. XV.

RE colite ergo quanta & qualia me audiente atq; probante dicere soleatis de administratione pontificis, qui populi sibi commissi cura post habita ardentius bona præsentia desiderat, quàm futura, & oblitus quod non solum de se, sed etiam de grege sibi credito rationem pastori pastorum omnium reddat, sua suorumq; detrimenta non cogitat. Quem nõ delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificãt, sed de se tãtum, plærũq; aũt nec de se omnino sollicit⁹ quid à suis boni mali'ue geratur ignorat, qui non prædicat perseuerantiam iusti, pœnitentiam prauis, contemptum mundi conuersis, futuras pœnas auersis, qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ futurum cogitate iudicium, quod ipse forte non cogitat: amatoribus mundi nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat: ambitiosis ambitioni finem imponite, si eum ambicio ruinosa præcipitat: ebriosis ebrietatem cauete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat, sumptuosis dapibus crudus non potest suis abstinentiam laudare quam calcat: uicio cupiditatis addictus cupidis, amorem non potest dissuadere pecuniæ: inimicitiarum tenex non audebit animos dissidentiũ sacerdotali tranquillitate

Pastoris dormitã tis obiurgatio.

Al. ebriositatem.

quillitate componere. Iusticiam prædicare iudicibus erubescit quam ipse personæ potentis fauore corrumpit, nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit, & quicquid boni non facit aut mala committit, nec iubebit fieri nec uetabit: quia necessariam docendi autoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit aut minuit. Al. dissicit.

QVALE PERICVLVM MANEAT eos qui ecclesiam sibi creditam uel relinquere uolunt, uel strennue gubernare contemnunt. CAP. XVI.

HAEC & his similia memorantes, episcopatus uos accepti pœnituit, qui sicut administratorē suum si probe administretur illustrat: ita contemptorem suum condemnat. Denique uolentes ecclesiam uobis creditam uelut impares ei regendæ dimittere, atq; in aliquam solitudinem non tam studio quietis quàm ipsius officij uestri desperatiōe secedere. Nulla res alia uobis exegit in melius mutare consilium, nisi quod ueriti estis periculum nauis incurrere: quoniam si periculosum est nauim inter fluctus caute non regere, quanto periculosius est eam undis intumescentib⁹ fluctuantem in tempestate relinquere? Ad quam sicut satius est non ascendere, ita semel susceptam cōueuit fluctuātis pelagi proiecta formidine ac spe perueniēdi concepta, usq; in portum sine ulla mercium iactura perducere. Quæ cum uobis comparatio placuisset, adiūxi. Et idcirco ecclesia quæ uelut nauis magna per mare mundi huius enauigat, quæ diuersis tentationū fluctibus in hac uita contunditur, quæ immundorum spirituum persecutionibus uelut quibusdam procellosis fluctib⁹ in diuersa iactatur, quæ scandalorum cau-

Al. accedere. Ecclesia uelut nauis fluctibus contunditur.

 tibus

tibus uadosis illiditur, quæ uelut aggere arenæ grauantis cingitur, non relinquenda est, sed regenda, quę sicut omnes quos uehit perducit incolumes gubernatoris uigilātia gubernata, ita nō solum om̄es quos habet, sed etiam ipsum gubernatorem perdet submersa fluctibus aut soluta.

VBI ANXIVM QVOD ECCLESIAM nec relinquere, nec regere possit prouocat, suggerendo quod eam melius regat exemplo. CAP. XVII.

HAEC atq; huiuscemodi me prosequente permoti grauiter ingemuistis uos in eam necessitatem fuisse perductos, quam nec implere aliquo studio, nec sine peccato relinquere ualeatis, ac deinde cū piis gemitib' uestris ea qua uobis obstrictus sum cordis affectione compassus orando uos posse perficere, quod non possetis docendo suggerere, plusq; fideles catholicos bonis exemplis quàm luculentis uerbis solere proficere, eamq; esse summam perfectamq; doctrinam quam conuersatio spiritualis ostenderit, non quam inanis sermo iactitarit, nec à nobis in die iudicij uerba quęrenda, sed opera, nec facile persuaderi esse possibile, quod docet lingua, si à lingua uita dissentiat. Illud autem probare possibile est, quod siue prædices siue non prædices faciendo confirmas, & imitari uolentibus cum quadam delectatione ipsius possibilitatis inculcas, uos mea suggestione paululum delectati, hoc protinus si me non habet obliuio, retulistis.

Al. ualeretis.

Homines malunt exempla q̄ uerba.

QVOD PARVM VALEAT EXemplo agenda mōstrare, nisi etiam quę sint credenda docendo sacerdos ostenderit. CAP. XVIII.

Etiam

ETiam si tota perfectio in opere tantum, non eti-
am in fide consisteret, nec quid homo credidis-
set, sed quid egisset in die iudicij quæreretur, quis erit
tantæ arrogantiæ, qui ecclesiasticæ doctrinæ autori-
tate neglecta de sua sibi iusticia blandiatur? At cum
non solum secundum Apostolum nos oporteat for-
mam præbere fidelibus, sed etiam eos ipsos fideles qui 1.Petr.5
nobis diuinitus instituendi commissi sunt instruere Al.intuē-
debeamus de patre, quomodo solus accipiatur inge- di.
nitus, de filio quomodo ex ipso sit genitus, & de spiri
tu sancto quomodo ex patre ac filio procedēs nec in
genitus possit dici nec genitus, qualiter ista tria unū
sint, & hoc unum non diuidatur, sed distinguatur in
tria: quemadmodum nec pater nec spiritus sanctus,
sed solus filius de solo patre ineffabiliter natus, homi-
nem totum sine ulla mutatione substantiæ suæ susce-
perit, ac se deum & hominem uerum per uirtutes pas-
sionesq; probauerit, comprehendi permiserit, occidi
uoluerit, tertia die resurrexerit, in cœlo hominē de no
bis assumptum sua uirtute leuauerit, suæ resurrectio-
nis exemplo nobis regeneratis in se spem feliciter re
surgendi præstiterit, membra sua nos fecerit, nō cre-
dentibus sibi uel à se recedentibus supplicium commi
natus sit, & adhærentibus sibi regnum cœleste pro-
miserit.

DE VIRTVTE FIDEI QVOD ad eam non solum credere uel intellige re, sed etiam bene operari pertineat. CAP. XIX.

HAec & alia & sacerdos nosse debet ut doceat,
& populus credere, ut ea quæ doceatur intelli

Esai. 7. iuxta lxx. et Mat. 5 ac Actu. 28. Psal. 35. Rom. 10 Ibidem.

gat dicente Apostolo, Nisi credideritis, non intelligetis. Vnde datur intelligi quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat, nec qui intelligit credat, sed qui credit intelligat, & qui intellexerit bene, agat sicut alibi scriptum est: Noluit intelligere ut bene ageret. Non dixit, non potuit, sed noluit intelligere, ut nihil aliud nolle intelligere dictum quàm nolle credere nouerimus, ac per hoc ut bene agat quis intelligere studeat & ut intelligat credat. Sed quia idem Apostolus dicit, fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, debet doctor ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus: quia sine prædicatione nullus erit auditus, eodem Apostolo contestante atque dicente, Qomodo audient sine prædicante? Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit, uerbum fidei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, & intelligens bonum opus perseuerãter exerceat: quoniam nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat. Et ideo si corde creditur ad iusticiã, ore autem confessio fit ad salutem, qui non crediderit nõ habendo fidem, nec iusticiam cordis habere poterit, nec salutem.

QVOD NIHIL PROSIT SACERdoti etiam si bene uiuat, si male uiuentem tacendo non corrigat.

CAP. XX.

1. Pet. 5

Quod uero dicit Apostolus ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid ualebit si cui uel exhortandi bonos, uel castigandi malos cura commissa est, bene uiuendo se imitandum bonis exhibeat,

& malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim nisi me fallit opinio, sancte uiuendnm est sacerdoti, ne di[illegible] sua repugnãtibus factis euacuet, si quod prædicat fieri debere non faciat, aut si quod non facit, prædicare præsumpserit, nihil apud eos qui eius uitã nouere proficiat: quia ad hoc est ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene uiuendo alios exemplo suæ conuersationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante occulos peccata sua constituat, quæ pœna maneat duros, quæ gloria obedientes ostendat, nullius salutem desperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: Vt lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & nõ egerunt pœnitentiam. Et iterum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Quapropter sciẽs quod si quibuslibet diuitibus ac potentibus male uiuentibus pareat aut faueat, eos perdat simul & pereat, & sancte uiuere debet propter exemplum & docere propter suæ administrationis officium, certus quod ei nihil sua iusticia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur, quando quicunq; alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sceleris sui dabit. Ille autem cui dispensatio uerbi commissa est, etiam si sancte uiuat, & tamen perdite uiuẽtes arguere, aut erubescat, aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierunt perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniẽdus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc dominus per Ezechielem prophetam sub cuiusdam terroris denunciatione loquitur, dicens ad eum: Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Nec hoc transeunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat,

Boni pastoris exemplum.

Al. duris.

Al. obedientibus.

2. Cor. 12

2. Cor. 11

Ezechie. 3

pellat, ut sicut speculatoris est, de loco editiori prospicere, & plus omnibus contemplari, ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se uiuentes instruere. Videamus iam quid diuinus sermo cõtineat. Audiens, inquit, ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me, ut hoc dicat, sacerdos quod ex diuina lectione didicerit, quod illi deus inspirauerit, non quod præsumptione humani sensus inuenerit. Annunciabis eis, inquit, ex me. Ex me, non ex te mea uerba loqueris. Non est quo in eis tanquam de tuis infleris, ex me, inquit eis annuncia. Sed iam quid annunciet audiamus. Si me dicente ad impium impie morte morieris, si nõ fueris locutus ut custodiat se impius a uia sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem uero eius de manu tua requiram. Quid potuit expressius, quid apertius potest dici? Si impio, inquit, non locutus fueris ut ab impietate sua se custodiat & ille perierit, sanguinem eius de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annunciaueris, si eum nõ argueris, ut ab impietate sua conuertatur & uiuat, & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccauit flammis perhennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tã ferreus erit, quẽ sententia ista nõ terreat, quis tã alienus à fide, qui sententiæ isti non credat?

Speculatoris officium.

Ibidem.

Ibidem.

LVCTVOSA DESRIPTIO SAcerdotis carnaliter uiuẽtis. CAP. XXI.

SED nos præsentibus delectati, dum in hac uita commoda nostra & honores inquirimus, non ut meliores, sed ut ditiores, nec ut sanctiores, sed ut honoratiores simus cæteris festinamus, nec gregem do

mini

mini qui nobis pascēdus tuendusq; commissus est, sed nostras uoluntates, dominationem, diuitias, & cęteras blandimenta carnaliter cogitamus, pastores dn̄i uolumus, nec tamen esse contendimus, officij nostri uitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerando non pellimus, et quod eis remãserit ipsi consumimus, quando peccantes diuites uel potentes non solum non arguimus, sed etiam ueneramur, ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant, ac sic muneribus eorum & obsequijs capti, imò per hęc illis addicti, loqui illis de peccato suo aut de futuro iudicio formidamus. Et ideo minaciter superbiã nostram diuinus sermo cōtundit, sed noster auditus nihil unde proficiamus admittit, quia præsentis uitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam nostram maneat in æternum nolumus cogitare. In pastores ergo dicuntur ista, de quorum nobis inani appellatione blandimur. Hæc dicit dominus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrum, non sanastis: quod fractum, non alligastis, & quod abiectum, non reduxistis. Quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. Et paulopost. Propterea pastores audite uerbum domini. Viuo ego, dicit dominus: quia pro eo ꝙ facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri eo ꝙ

Eze. 34

Al. ægrotum.

Ibidem.

non esset pastor, neq; enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant. Propterea pastores audite uerbum domini. Hæc dicit dominus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam ut ultra non pascāt gregem meum, nec pastores amplius pascāt semetipsos. Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit? Sed quia omnia quæ deus obseruari uoluit tam aperte posuit, & ita nominis sui auctoritate firmauit, ut ea facilius quod dictu quoque nefas est, cōtemnamus, quàm nos intelligere uel non credere tam aperta & diuina fingamus, quando audimus hæc dicit dominus. Quis non futurum esse credat, quod dicit dominus, nisi qui deo non credit? Quod autē dicit, uæ pastoribus, istud uæ pro maledicto poni & pastorum nomine nos significari, quis non intelligat nisi qui futura non cogitat? Gregem domini pascendū pastores facti suscepimus, & nosipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foueat & augeat nostras uoluptates adtendimus: lac & lanas ouium Christi oblationibus cotidianis ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum ac reficiendorum à quibus peruerso ordine uolumus pasci deponimus. Non sanamus spirituali consilio peccatis infirmum, non sacerdotali ope consolidamus atque reficimus diuersis tribulationibus fractum, non ad uiam salutis reuocamus errantem, non requirimus sollicitudine pastorali uenię desperatiōe iam perditum, ad hoc tantum potentes effecti, ut nobis in subiectos dominatio-

nem

Ibidem.

Al. uoluntates.

Pastores pascentes semetipsos.

tem tyrannicam uindicemus, non ut afflictos contra uiolentiam potentium qui in eos ferarum more sæuiunt defendamus. Inde est quod tam à potentibus huius mundi quàm à nobis quod peius est, nonnulli grauiter fatigati depereunt, quos se de manu nostra dominus requisiturum terribiliter comminatur dicens: Requiram oues meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant. Quod quid est aliud, quàm pastores qui semetipsos non gregem meum pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliem, & inter reprobos quia honorem suum noluerunt custodire projiciam? Horum & his similium consideratione perterritus, timor & tremor ceciderunt super me, & contexerunt me peccatorũ meorum tenebræ & dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Et hoc est totum propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & uolui sarcina episcopatus mei deposita elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare dominum qui me saluum faceret à pusillanimitate mea, & ab ipsa intolerabilium mihi sollicitudinum tempestate.

Ibidem.

Al. uenerint.

Psal.

Quod secundũ sermonẽ Prophetæ, culpa sua pereant, qui sacerdotũ increpationes uel admonitiones peruersa uoluntate contemnũt. CAP. XXII.

AD hæc ergo tunc sic inquam: Ista inuidiosis quæstionibus iactas, & in sugillatione pontificum uel certe ipsius pontificatus exaggeras, quasi nõ uerba ista legeritis quibus rationabiliter permoueri possitis & illa quæ à uobis prætermissa sunt, breuiter in excusationem officij sacerdotalis attingam. Post illa uerba quibus negligẽtium sacerdotum finis ostenditur, de pontifice officium suum curante propheta sic

Al. ego.

sic loquit: Si aut adnūciante te ad impiū ut à uijs suis Ezech. 3 conuertat nō fuerit conuersus à uia sua, ipse impius in iniqtate sua morietur & tu aīam tuā liberasti. Hic certe satis euidenter ostendit, quod siue proficiant, siue nō proficiant auditores, tacere eis non debeant sacerdotes, ne ideo rei sint, si forte eorum uerba populi non audiunt, uel audita contemnunt, sed si ab eis corrigendis absistunt: quia si nec exemplo uitæ præpositorum suorum, nec uerbo doctrinæ populi contumaces emēdati proficiunt, ipsi sibi causa suę perditionis existunt, & doctores suos quorum exempla simul ac uerba despiciunt, inuoluere criminibus suis omnino non poterunt. Quod idem propheta euidentius alio loco prosequitur dicens: Speculator si uiderit gladium uenientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo, audiens autem, quisquis ille est, sonū buccinæ nō se obseruauerit ueneritq; gladius & tulerit eū, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinę audiuit, & se non obseruauit, sanguis eius in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam saluabit. Hic autē quid agere debeat qui fungitur speculatoris officio, diuinus sermo satis ostendit, ut quando uiderit uenientem gladium super terrā, iram dei scilicet super peccatores operibus terrenis addictos, omnino nō taceat, atque eis quamdiu inhæserint iniquitatibus suis impendere diuinæ indignationis interitum denunciare nō desinat, sed clare ac publice arguat: quia hoc buccinæ nomen insinuat, ut sic se à suis criminibus emendantes, suppliciū futuræ dānationis effugiant: Quod si corripientem, si iram futuram quæ cōtemptoribus imminet nunciantē hoīes terreni despiciūt, sanguis eorū in ipsis erit, & sacerdos q eis peccata sua nō tacuit

Pastores nunq̄ tacere debent.

Ezech. 33

Speculatoris officium.

Al. imminere.

tacuit, pœnæ quos expectat particeps esse nõ poterit.

QVOD SACERDOTES ETIAM qualiter possunt tã simpliciter docere debeant, ut oĩes eos docẽtes intelligãt. Cap. XXIII.

NEc uero se per imperitiam pontifex excusabit, quasi propterea docere non ualeat, quod ei sufficiens & luculentus sermo non suppetat, quãdo nulla alia sacerdotis doctrina debet esse quàm uita, satisq́; auditores possint proficere, si à doctoribus suis quod uident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo: Et si imperitus sermone, sed non scientia. Vnde datur intelligi, quod non se debeat ecclesiæ doctor de curati sermonis ostentatione iactare, ne uideatur ecclesiam dei non uelle ædificare, sed magis se, quantæ sit eruditionis ostendere. Non igitur in uerborũ splendore, sed in operũ uirtute totam prædicandi fiduciã ponat, nõ uocibus delectetur populi adclamantis sibi, sed fletibus, nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitũ. Hoc specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, quo fiant qui audiunt eũ sanis disputationibus meliores, nõ uana assentatiõe fautores. Lachrymas quas uult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, & sic eos cõpunctione sui cordis accendat. Tamen simplex et apertus, etiã si minus latinus disciplinatus, tamẽ & grauis sermo debet esse pontificis, ut ab intelligentia sui nullos quamuis imperitos excludat, sed in omnium audientiũ pectus cum quadam delectatione descendat.

2. Cor. 11.

Ostentationis ecclesiæ doctoribus fugienda.

Nota.

QVID INTERSIT INTER DOCTOres qui ecclesiam simpliciter docentes ædificant, et eos qui eloquentiam suam luculentis declamationibus iactant. CAP. XXIIII.

DEniq; alia est ratio declamatorũ, & alia debet esse doctorum. Illi elucubratę declamationis pompam totis facundiæ suæ uiribus concupiscunt, isti sobrio usitatoq; sermone Christi gloriam quęrũt. Illi rebus inanibus preciosa uerborum induunt ornamenta, isti ueracibus sententijs ornant, & cõmodãt uerba simplicia. Illi affectant suorũ sensuum deformitatem tanq̃ uelamine quodam phalerati sermonis abscondere, isti eloquiorũ suorũ rusticitatem studẽt preciosis sensibus uenustare. Illi totã laudem suam in fauore uulgi, isti in uirtute dei cõstituunt. Illi plausibilit dicunt, & nihil auditoribus suis declamando prospiciunt, isti usitatis sermonibus docent, & imitatores sui os instituunt, quia rationem suam nulla fucatæ compositionis affectatione corrumpunt.

Al. commendant.

Al. affectione.

Quales esse debeãt sacerdotes qui uolunt fieri uitę contemplatiuę participes. CAP. XXV.

QVocirca si sacerdotes sancti nõ quales illi sunt q̊s iudicãdos atq; dãnandos cõminatio diuina pronũciat, sed quales apostolica doctrina cõmendat, multos ad deũ sancte uiuẽdo & prędicãdo cõuertant, si nihil ex imperio sed omnia humiliter agãt, ac se communes eis quibus sunt præpositi studio sanctæ dilectionis exhibeant, si infirmitates carnaliter uiuentiũ fratrũ modo uerborũ salubriũ medicaminibus curẽt, modo quas incurabiles iudicant, patientiæ uirtute sustineant, si moribus ac prædicationibus suis nõ suam, sed Christi gloriam quęrant, nec uerba ac facta sua in preciũ fauoris conciliandi miserabiliter perdant, sed quicquid sibi sacerdotaliter uiuentibus atq; docẽtibus honoris impendit, deo semp adscribãt, si nõ inflentur

officiosis

officiosis occurrentiũ salutationibus sed grauent, nec
honorari se, sed onerari fauentiũ sibi laudibus credã,
si consolent afflictos, pascant egenos, uestiant nudos,
redimant captiuos, suscipiant peregrinos, si erranti-
bus uiã salutis ostendãt, desperatis spẽ ueniæ cõsequen
dę promittãt, currentes impellant, remorantes accen
dant, & quicqd ad officiũ suũ pertinet cõstanter exer
ceant, quis sic erit alienus à fide, ut dubitet tales con-
tẽplatiuę uirtutis esse participes, quorũ exẽplo simul
ac uerbo plures fiunt regnorũ cœlestiũ cohęredes? Isti
sunt ministri uerbi, adiutores dei, oraculũ spiritus san
cti. Per tales deus placat populo, populus instruitur
deo. Isti sunt apostolorũ dñi successores, qui ecclesias
quas illi editis mirabilibꝰ fundauerũt, mirabiliter apo
stolicis prediti uirtutibꝰ regũt, qui fidẽ catholicam aut
disputatiõibꝰ aut si ita necessitas poscat membrorum
suorũ laceratiõe defendũt, ꝓ qua totis uisceribꝰ retinẽ
da amissis facultatibꝰ suis etiã mori parati sunt. Fideli
um catholicorũ uirtutibꝰ crescũt, qui ꝑ eos deo auto-
re proficiunt, & deo suo inseparabiliter adhęrẽtes in q̃
sibi credũt solida ac ꝑmansura bona reposita, mũdi hu
ius gaudia fugitiua fastidiũt. Hactenus super tribꝰ ca
pitulis sermonẽ laciniosę disputatiõis ꝓlixitate ꝑduxi
mꝰ, in q̃ quę esset uitę cõtẽplatiuę ꝓprietas, quę diffe-
rẽtia ipsius & actiuæ, & qualiter contẽplatiuę uirtu-
tis sacerdotes fieri participes possint, sufficiẽter ut opi
nor oñdimus, ideoq; huic tandẽ libro terminũ dantes,
in secundo uolumine alia tria capitula adiuuante deo
conatum nostrum uestris orationibus tractabimꝰ, ut
in tertio lib. de reliquis quatuor, quibꝰ uitiorum atq;
uirtutum discutienda continetur ratio, disseramus.

Veri sacerdotes Apostolorum sunt successores.

FINIS LIBRI PRIMI.

IN-

INCIPIT PRAEFATIO libri Secundi.

SVperiori libro rationē contemplatiuæ uitæ complexus, pro uiribus quas dominus donare dignabitur, de actuali uita sicut promisi disputare cōstitui. Quapropter sicut in præfatione primi uoluminis feci, hic quoq; officij mei necessitatē paucis aperio, quia si potuissem sine inobedientiæ noxa quod iubebatis abnuere, nunquam me propriæ uoluntatis instinctu committerem obtrectatorū maleuolo dente carpendum, qui nolentes aduertere quàm inuitus hæc scribenda susceperim, totum quod est uestræ iussionis, applicaturi sunt forte uitio uanitatis, maxime si de reb' talibus locuturus, quibus ecclesiasticorum pene omnium conuersatio tenenda describitur, aliquid tale posuero, quod seculariter uiuentium mentes offendat, & dum in descriptione ecclesiasticæ uitæ mores suos, q̃s nesciri magis quàm emendari uolunt, uiderint publicari, in me tanquam suorum actuum proditorem carnaliter commoti deseuiant, atq; ea quæ fuerint donante deo prolata, & si rationabiliter dicta dijudicent, à me dici tamen non debuisse contendant, sicq; aut materiā disputationis aut personam disputantis irrideant. Sed q̃m sana mēs incomparabiliter amplius obedientiæ fructum debet appetere, quàm uitare iniustæ obtrectationis opprobrium, leuius me credidi grauari reprehendentium dictis meo iudicio, quàm pertinacis inobedientiæ subiacere periculo. Proinde securus quod uos mihi perficiendi facultatem precibus impetretis à domino qui iussistis ut loquerer, & præsum-

ptionem

ptionem meam apud eos qui me iudicaturi sunt excusetis, ut opus susceptum uobis orantibus adiuuandus expediam. Sed priusquam membratim singula quę proposuistis absoluam, uniuersaliter de ipsa re quę in hoc libello tractanda est, pauca mihi uideo esse dicenda, quibus euidenter appareat, qua ratione mihi succenseri posse præfatus sum, ab eis qui magis quis dicat, q̃ quid dicat attendunt, nec rationem dictorũ, sed dignitatem dicentium praua examinatione discutiũt, & quod facere aut fieri nolunt, dici quoque sibi fastidiunt, paratiores aliquid doctrinæ etiam quod scire cupiũt ignorare, quàm à persona inferiore cognoscere, cum ueritas undecunque claruerit, non sit ingenio humano deputanda, sed deo, nec aliquorum debeat credi, sed omnium quæ per se tanta & talis est, ut nõ sit tunc magna, si eam magni docuerint, sed potius ipsa magnos faciat eos à quibus doceri uel dici potuerit. Voluistis itaque uobis proprietatem uitæ actualis exponi, ut uos cum uestris secundum ipsam uixisse semper & uiuere probaretis, non qualiter nobis esset uiuẽdum, sed qualiter docendum in eis disputationibus di sceretis. Siquidem conuersatio religiosa actualis est uita, quæ docet quomodo præpositi sub se regant uiuentes & diligant, ac non minus de eorum, quàm de sua solliciti salute, quod eis expedire sciũt, paterna cura prouideant, & qualiter præposito suo subiecti tanquam capiti membra deseruiant, ac præcepta eius uelut imperium dei summo amore custodiant, hoc esse sanctum, hoc sibi salubre & necessarium iudicantes, quod rectori suo placuerit, nõ quod eis in perniciem sui arrogantia uiciosæ mentis dictauerit. Ideoque obedientiæ ac patientiæ uirtute fundati, maiorum suorum

Al[illegible]

Actualis uita quæ sit.

non discutiunt constituta sed faciunt, et quando rigor exigit disciplinæ, ut seueritate arguantur, acceptã correptionem magnanimiter ferunt, nec motibus eorũ, a quibus fuerint obiurgati, sed suis negligentijs quod castigantur adscribunt. Ciues quoq; suos plebeios & nobiles, diuites ac potentes, qualiter tractare & regere debeant sacerdotes, huius libelli series continebit. Quæ ego sicut sæpe iam dixi scribere non auderem, si uobis negare aliquid potuissem. Sed iã Capitula ipsa differenda ponamus. Quæsistis igitur utrum æquanimiter sustinendi sint diuina pręcepta calcãtes, an pro modo peccati debeãt ecclesiastica seueritate coargui.

FINIS PRAEFATIONIS.

INCIPIVNT CAPITVLA libri Secundi.

sant, qui sua non cogitant.

VII Quantum remedij habeat confessio peccatorum, & quale mereatur occultatio dolosa supplicium.

VIII Quod inique & non simpliciter arguentes uani sint, ac diuino iudicio condemnandi.

IX Quod sacerdotes nihil proprij habere debeant, & ecclesiæ facultates quasi communes utpote deo rationem reddituri suscipiant.

X Cum quo damno animę suę ab ecclesia quę pauperes pascit, accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt.

XI Quod sunt qui etiam cum profectu animæ suæ opibus sustentantur ecclesiæ.

XII Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere.

XIII Quæ sint gaudia uera, uel ueræ diuitiæ, & quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.

XIIII Qualiter intelligatur quod dicit Apostolus, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edant.

XV De cupiditate, qualiter eis quos semel inuaserit dominetur.

XVI Quod deum perfectius illi possideant, qui terrenis possessionibus ex corde renūciant.

XVII Quod nihil proficiant, qui abstinentes à cibis, uicijs seruiunt, nec prosit facultates abijcere, qui suas faciunt uoluntates.

XVIII Quanta bona primus homo, abstinentiæ bo

num negligendo perdiderit.

FINIS CAPITVLORVM
libri Secundi.



INCIPIT LIBER SECVNDVS, QVOD PRO diuersitate peccantium alij portandi sunt, alij castigandi.

CAP. I.



I una omnes ægritudine mentiũ laborarent, ac paribus animorũ morbis affecti nihil ad inuicẽ discreparet, aut sustinere necesse esset, aut argui. Nũc uero ꝓpterea portandi sunt alij, alij castigandi: quia pro diuersitate peccantiũ, modus quoque diuersus est præceptorum. Et utique ita dissimilia sunt peccatis adhibẽda remedia, sicut ex dissimilibus causis ueniũt ipsa peccata. Plærosq; enim peccandi consuetudo delectat, alios ad peccandũ occasio alicuius lucri temporalis inuitat, fragilitas nonnullos inclinat, quosdam ignorantia boni facit nescire, quod peccant, & impedit mali dulcedo, ne correpti aliquando sapiant quod ignorãt. Taceo de illis quos aliena delicta quibus consentiunt decolorant. Illos etiam prætermitto, qui cupientes adipisci quod diligunt, uel refugientes pati quod metuũt, aut fidem catholicam produnt, aut mendacio præstantiam ueritatis addicunt. Illud dico, quis nesciat aliter homines cogitatione subita, aliter definitiõe delinquere, aliter sermone, aliter opere, aliter necessitate, aliter uoluntate peccare? Cum igitur tam multiplicibus ac multum ab inuicem distantibus modis homines peccent, quis non intelligat

Al. peccatorum.

Peccandi occasio diuersa.

intelligat uno modo eis nō posse utique mederi, quorum tam diuersi sunt morbi? Et ideo dupliciter quidem fragilitas humana dei pręcepta contemnit, aut faciendo quod uetuit, aut non faciendo quod iussit. Sed quomodo non solum ex illis causis quas commemoraui, sed etiam ex aliis quas non cõmemoraui, in præceptis suis eum contemnunt, qui eius præcepta non faciunt, sic debent homines modo exhortando, modo sustinendo, modo increpando curari, ut sub ope Christi nullius salus in hac uita debeat desperari. Iam nunc si satis apparuit quod diuina præcepta calcantes non solum portandi sunt, sed etiam castigandi, à quibus id fiat, qui uel quo ordine q̃diu curãdi sint qui curantur, adiuuantib⁹ me meritis & orationibus uestris debeo declarare.

Dupliciter dei præcepta contemnuntur.

Al. om̃es.

DE LAVDE SANCTORVM SAcerdotum. CAP. II.

AC ne fidem meus sermo uelut humana coniectura non habeat, effectumq́; dum ei parum creditur perdat, ea quæ adiuuante domino demonstrare constitui, uera esse diuinis testimoniis conabor ostendere, si prius pauca de laude uerorum sacerdotum qui sunt ecclesiarum magistri protulero. Ipsis enĩ proprie animarum curandarum sollicitudo cõmissa est, qui pondus populi sibi commissi uiriliter sustinentes, ꝓ peccatis oĩm uelut pro suis infatigabiliter supplicant deo, ac uelut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur deus, auertunt iram futuræ animaduersionis à populo, qui per dei gratiam fiunt diuinæ uoluntatis indices, ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, ueritatis assertores, prauæ doctri-

Qualib⁹ curanda sit animarum sollicitudo cõmittatur.

næ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscijs etiam ipso uisu terribiles, uindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium, primi phalanges inuisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta uirtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt ecclesię decus, in quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi colūnę firmissimæ, quibus in Christo fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt, ingrediuntur ad Christū. Ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt regni cœlorū. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuidūtur gradus et officia singulorum. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter uiuendo sacerdotium meruerunt, quiq; non fauoris humani suffragio, sed diuino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus adplaudunt. Quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus. Qui nō excellentiæ suæ profectum cogitant, sed sarcinā, nec gloriantur de officij dignitate, sed subdant potius constituti sub onere. Tales diuina scriptura speculatores appellat, qui speculantur actus omniū, & qualiter unusquisq; cum suis in domo, qualiter in ciuitate cum ciuibus uiuat, intentione religiosæ curiositatis explorant: Quos bonos probauerint honorādo confirmāt, quos deprehenderint, uiciosos arguentes emendant, aut si emendari noluerint, æquanimiter portant, habituri uberrimū fructū, aut de sua districtiōe, si correcti profecerint, aut de sua patientia, etiam si illi quos sustinēt, emendari noluerint.

Al. præstantes.

Al. excellentiam suam profecti cogitant.

Ezech. 3

Al. correpti.

DE TESTIMONIIS APOSTOLICIS, uel de expositione eorū. CAP. III.

 Sed

Actu. 20

SED iam diuina testimonia sicut promisimus, proferamus. In actibus apostolorum Paulus Apostolus sacerdotibus dicit: Ecce ego scio quod amplius nõ uidebitis faciem meam uos omnes, inter quos ambulaui prædicans regnum Iesu Christi. Ideoq́ꝫ contestor uos hodierna die, quia mundus sum ab omnium sanguine. Non enim subterfugi, quominꝰ adnunciarem uobis omne consilium dei. Adtendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam adquisiuit sanguine suo. Regnum dei, inquit, inter uos ambulans prædicaui, ut me alienum ab omnium perditione seruarem, qui uerbo doctrinæ salutaris audito nihil promouentur ad salutem. Regnum dei prædicat, qui de uita futura quę non habet finem, de contemplatione diuina quæ non habet fastidiosam sacietatem, de sanctorum beatitudine quæ non habet defectionem, de angelorum similitudine consequenda prædicare non cessat, ita ut si ad hęc ineffabilia bona qui audiunt prouocari noluerint, absolutus sit ille, qui eis prædicando non tacuit. Quod autem secutus adiungit, non enim subterfugi, quo minus adnunciarem uobis omne consilium dei, quid aliud facit intelligi, nisi ut ecclesiasticus doctor dispositionem dei, quod consilium dei uocat, Apostolus eis quos docet aperiat? Aperit ergo dispositionis diuinæ consilium, quando docet ut patres pietatem filijs suis impendendo, eam mereantur à domino qui est omnium pater. Vt filij honorem debitum patribus suis exhibeant, non exhęredationis metu deterriti, sed futuræ remunerationis desiderio prouocati: quia præceptum domini tam patres filios diligendo quàm filij honorificentiam suis exhibendo patribus

Al. saluatoris.

Regnum dei prędicare.

Al. prædicanda.

Patres filijs pietatem, filij honorem patribus exhibere debent.

bus compleant, qui utrumq; iussit ut fieret. Vt mariti fidem coniugalis thori suis uxoribus seruent, ut uxores maritos suos non studio formæ lenocinantis adhibito, aut accuratione uestium diuersarum, sed grauitate morum delectent, & operum sanctitate. Vt domini seruos uelut eorum in Christo conserui misericorditer tractent, & serui dominis ita ex corde deseruiant, ut uoluntatem non solum dominorum suorum, sed etiam dei hoc ipsum iubentis efficiant. Vt inter se ciues cum ciuibus, cum amicis amici, cum parentibus parentes ueram concordiam teneant, ut in nullo negotio alter alterum callida fraude decipiat, aut ne in communi contractu fidem quam sibi seruari aliquis cupit ipse corrumpat. His & talibus & sacerdos adnũciat prædicando & obediendo populus accipit dei cõsilium, sine quo non peruenitur ad regnum, in quo so so executores diuini consilij participes deo autore futuri sunt cœlestium præmiorum. Deinde quod dicit Apostolus, attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei quam acquisiuit sanguine suo, quis non uideat, ꝙ tunc sibi sacerdotes attendunt, quando sancte uiuendo ac uoluntatẽ domini fiducialiter prædicando ecclesiæ dei prospiciunt, ut eis iam graue non sit infirmos ecclesiæ sustinere, pro quibus redimendis se dignatus est morti uitæ tradere auctor? Sed & ipsi qui docentur ut sapiant, qui increpãtur ut saltem obiurgati proficiant, qui sustinentur ut de suis aliquãdo criminibus erubescant, & gaudium suis doctoribus quorum patientia blande tractantur, de utilitatis suæ profectu exhibeant, & ipsi inquam libenter audiant, quid eis apostolico ore diuinus sermo præcipiat. Obedite, inquit,

Ibidem.

Quando sibi sacerdotes attendant. Al. offerre.

Al. de utilitate suæ correctionis.

quit, præpositis uestris, & subiecti estote eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim expedit uobis. Ergo doctoribus suis debent obedire qui audiunt, atque eis cum reuerentia esse subiecti. Quod faciunt illi qui castigati libenter accipiunt, nec increpantibus contradicũt. Quod uero ait, ipsi enim peruigilant quasi rationẽ reddituri pro animabus uestris, sacerdotalem curã pro populo sibi cõmisso satis ostendit, qui tam in suis actibus q̃ in prædicationibus uigilantes, sollicite hostis antiqui rimantur insidias, ne quem uelut dormiente pastore lupus diabolus astuta fraude decipiat, & in damnum pastoris abreptum secum usque ad supplicia sempiterna perducat. Verum quia ex his qui arguuntur, aliqui se obedientes emendant, aliqui in sua peruersitate perdurant, ideo de sacerdotibus ait, ut cum gaudio hoc faciant & non gemẽtes. Cum gaudio sacerdotes arguũt, quãdo correpti proficiunt, & tristes hoc faciunt, quãdo se nihil proficere in suis contemptoribus ingemiscunt, ac sic hoc dicit illis expedire, ut cũ gaudio non gementes eos increpẽt sacerdotes, qui doctores suos sua correctione lætificant, & eorum gaudia incremento sui profectus accumulant.

Heb. 15 — Ibidem. — Al. subripiat. — Ibidem.

OBIECTIO. QVARE SACERdotes sancti quorum cura est perdite uiuentes arguere, simulatores religionis equanimiter ferant. CAP. IIII.

NEC dum sermonẽ de sacerdotibus sanctis, unde plura dicere conabar impleuerã, cum ecce

ad

ad me quidam de nostris ingressus, quid dictarem curiosus interrogat. Cui cum recitari fecissem, omnes ait quit episcopos tales esse deberet, quales tuus sermo describit, & nunc esse plures apud nos plenos sacerdotalibus bonis, qualia ueraciter prædicasti, dubiũ non est. Sed cum ad eorum probetur officium pertinere, ut inquietos sacerdotali auctoritate corripiãt, rudes doceant, contradicentes sanę doctrinę, redarguant, quid est quod non in omnes hæc eorum cura porrigitur, cur non & alios simili auctoritate castigant? Illos dico qui uelut conuersi ex pristinis moribus nihil abijciunt, non mente mutati, sed ueste: nec actu, sed habitu. Hi sunt qui sermone tantum non opere seculo renunciasse contenti seculariter uiuunt, & uicia sua inani professione uitæ melioris abscondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem uirtutis pro uirtute suscipiunt. Prædicant magna nec faciunt, accusant uicia nec deponunt. Publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt. Magni student uideri, non fieri. Laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari. Ieiunant, ut uultus sui pallorem pernitiosis laudibus uendant. Ad reprehendendos alios prompti, se non patiuntur à quibuslibet uel leniter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam fingunt, & in animo iracundiæ uirus abscondunt, ad nocendum parati, cum nocendi tempus inuenerint, suorum actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. Impudenter se assuescunt uirginibus sacris ac uiduis, quibus tanto inglutinantur affectu, ut facilius ab ecclesiæ (quod dictu quoque nefas est) q̃ ab earum communione discedant. Qui & si cum illis

al. debere

Sacerdotum officium.

Attendãt hæc reli giõis imaginariæ noĩe palliati.

Al. pereant.

illis fortè non peccant, tñ malæ suspicionis de se præbendo materiam, uitam suam maculis sinistrę opinionis infamant. Taceo de illis qui inundante lassabundi corporis motu, defluẽtibus in talos uestimentis incedunt, & uagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem uestigijs sinuosa mobilitate nutantibus produnt. Illos quis ferat, qui adumbratæ prætendentes honestatis imaginem, ad hoc pupillorum ac uiduarum causas uelut tuendas simulata pietate suscipiunt, ut earum facultates suis adijciant, & diuites ex pauperibus facti, uel ex diuitibus ditiores, tenuẽ censum per nefas accumulent, ut cum fuerint exundãte patrimonio sumptuosiores effecti, nunquam materia uoluptatis gulæ suæ deficiat? Hos igitur tales quare non arguunt, qui arguendi potestatem diuinitus acceperunt? Non uerẽtur ne forte cum tam flagitiose uiuentibus parcunt, uideantur probare quæ faciunt? Quid quod etiam eos ad officium clericatus admittunt, & per nefas quasi parum sit quod tales dissimulata seueritate non increpant, insuper & honorant?

RESPONSIO VBI OSTENDITUR, quibus exigentibus causis, quorundam infirmitas blande tractetur.

CAP. V.

EGO uero si recolis inquam, quid de sanctis sacerdotibus fuerit disputatum, sufficiens accepisti responsum. Ecclesiæ quippe doctoribus sicut supra iam diximus, & censura inesse debet ut arguant, & patientia ut emendari nolentes fortiter ferant, apostolico satis

co satis facientes imperio, qui Timotheo præcipit dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Quasi diceret. Argue coęquales, obsecra seniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit in omni patientia & doctrina: quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit nec salutem. Item alio loco idem Apostolus dicit: Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum sustinete. Sustinent ergo æquanimiter ut infirmos, quos emendare non potuerint castigatos. Proinde quia nec obiurgari omnes expedit, nec omnes blande tractari, sciunt sancti sacerdotes atque discernunt quos debeant temperata seueritate corripere, & quos sacerdotali magnanimitate portare, & ideo omnium quos per Dei gratiam curant, nō uoluntati sed utilitati prospiciūt. Deniq; alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire nouerunt non uicio alicuius inuidię, sed altæ prudentiæ consilio prætermittunt, & alios latere cupientes honorant, ut eis aditum ad maiores profectus aperiant. Eos quos probant increpationē posse pati castigant, & impatientes obiurgationis ut languidos palpant, non eis adulando quod tales sunt, sed infirmitatibus talium compatiendo, si forte aliter sanari non possunt. Cæterum si ecclesiæ communione priuentur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum grauati succumbunt, & sanctorum omnium uultus per quos possent restitui deo refugiunt: aut certe ad omnem peccandi impudentiam si fuerint exasperati prosiliunt, & quicquid mali occulte faciebant publice

2. Tim. 4.

Rom. 15.

Arguēdi modus.

blice perpetrabunt, in tantam uesaniam reparandę salutis desperatione prolapsi, ut seria uerba corripientium in iocos exitiabiles impudenti urbanitate conuertant, ac maledica in se ex ipsa iactatione turpitudinis suæ, turpiter uiuentium maleuolas lætitias pascant. Propter hoc ergo blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt. Et reuera si peccandi salubrem pudorem, dum pro eo erubescis incutias, ac uerecundiam quam pro peccatis eius assumis, in eum pia animi compassione transfundas, facile in illo reprimis omnem peccandi licentiam, atq; ei totam impudentiam demis licentiosę turpitudinis hortatricem. Tunc mores eius uerecundia custos integritatis ornabit, ut ei placeat quod ante sordebat, quando sordidus erat, ut sordeat quod ante placebat, quando ipse bonis oībus displicebat. Sanctos uiros amando sectabitur, & sectando in eorꝫ similitudinem paulatim uitæ prioris emēdatione formabitur, ut ei quàm laboriosum fuit in sublimitatem uirtutis euadere, tam deforme sit in uicia rursus quibus se gaudet caruisse descendere: qui, sicut uirtus onerosa est uicioso, ita uirtutis amico uiciosa uoluptas est. Ecce quomodo peccantes omnes blande tractat, aut increpat, qui nihil aliud, nisi eorum salutem, quibus uult prodesse cōsiderat.

Al. peccāti.

Al. ita uirtutis amico uitioso uoluntas amara est.

QVOD ILLI PECCATA ALIENA impatienter accusant, qui sua non cogitant. CAP. VI.

TAmdiu enim quis peccata sua quæ nosse ac deflere debet ignorat, quamdiu curiose aliena considerat. Quod si mores suos ad seipsum cōuersus aspiciat, non requirit quod in aliis specialiter reprehendat,

dat, sed in se ipso quod lugeat. Proinde fratrum nostrorum uicia non facile debemus accusare sed gemere, ut inuicem onera nostra portantes legem Christi sic possim⁹ implere, qui utique non accusauit peccata nostra sed tulit, Euangelista dicēte, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Itaque si ille qui sine peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate sustinuit & sustinere non desinit, non interitum nostrum desiderās, sed profectum, nec mortem peccantium, sed salutem, quare nos exemplo nostri saluatoris & domini non sustineamus infirmos, cum & ipsi aut infirmi sumus & uolumus à deo portari, aut si sani sumus, possumus adhuc ut fragiles infirmari?

Vitia fratrum nō accusanda, sed gemenda

Gal. 6

Ioan. 1

QVANTVM REMEDII HABEAT confessio peccatorum, & quale mereatur occultatio dolosa supplicium. CAP. VII.

HVC accedit quod & ipsa peccata sic habentur occulta uel aliena nobis, uel alijs nostra, ut plærunq; & sanctus inter peccatores lateat, & famā sancti obtineat peccator. Innocentem si se tueri non potest, suspicio iudicis incauta condemnat, & reum calliditas ingenij uiuacis excusat. Veruntamen non diuinum, sed humanum fallunt ista iudicium. Et quid mirum si animos aliorum quales sint, sine ipsorum confessione nescimus, cum nos ipsos ita hodie nouerim⁹, ut quales futuri simus crastino nesciamus? Cum uero nobis fratres quilibet nostri peccata sua tanq̃ medicis uulnera quibus urgent̄ aperiunt, operā dare debem⁹, ut quātotius ad sanitatē deo autore perueniāt, ne in pei⁹ dissimulata curatiōe ꝓficiāt. Ecce aūt crimīa q̄rūlibet, si ipsis

al. arguētur.

Al. processerit.
Al. putridas.
Putres corporis partes ferro excommunicationis abscidendæ.

si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunq; cla ruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, uelut igni quodam piæ increpationis urenda sunt & curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis ac piæ increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debẽ ferro excommunicationis abscidi, ne sicut caro morbis emortua si abscisa non fuerit salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit, ita isti qui emendari despiciunt & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanam noticiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri au emendare noluerint, deum quẽ habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum uitare iudicium, cum si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum deo retribuente suppliciũ? Quod si ipsi sibi iudices fiant, & ueluti suæ iniquitatis ultores hic in se uoluntariam pœnam seuerissime animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex uera cordis compunctione fluentibus restinguenda æterni ignis incendia. At hi qui in aliquo gradu ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se uana persuasione decipiunt, si eis uidetur propterea communicare & officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis ẽm peccatis quæ tam parua sunt, ut caueri non possint, pro quibus expiandis cotidie deo clamamus & dicimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti-

Matth. 6.

mus

mus debitoribus nostris, illa crimina caueantur, quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiserint & ideo prodere me tuunt, ne sententiam iustę excommunicationis accipiant, sine causa communicant, imò uero dupliciter contra se iram diuinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, et contempto dei iudicio abstinere se ab altari propter homines erubescũt. Quapropter deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed ultro crimẽ cognoscunt, quia aut proprijs illud confessionibus produnt, aut nescientibus alijs quales occulti sunt, ipsi in se uoluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari cui ministrabant, non animo sed officio separati, uitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus deo non solum amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.

QVOD INIQVE ET NON SIMpliciter arguentes uani sint, ac diuino iudicio condemnandi.

CAP. VIII.

IAM de illis qui leui suspicione permoti simpliciter uiuentes obiurgant, ut & illos incondita correptione confundãt atque deijciant, & sibi per hoc nescio cuius districtionis gloriam quærant, non est meũ aliquid dicere, super quibus tam perspicue diuinus sermo pronunciat, ut expositore non egeat. Ait enim in ecclesiastico spiritus sanctus. Est correptio mendax in ira contumeliosi, id est, iudicium quod non est

Al. correctione.

Eccle. 19

Correptio mendax. bonum. Vtiq; contumeliosi hominis & superbi correptio quæ dicitur mendax, superbiæ est non alicuius humilitatis indicium, & ideo nõ est bonum. Quid potuit euidentius, quid apertius dici, quàm contumeliosum dicere, & mendaciter arguentem? Quia & contumeliosus est, qui mendaciter arguit, & mendaciter arguit, qui contumeliam facit. Item in Prouerbijs: Prou. 19 Falsus testis. Testis falsus non erit impunitus, & qui arguit, inique nõ effugiet. Quis est falsus testis, nisi qui hominẽ quemlibet de criminibus indiscussis obiurgat? Quem propterea inique increpantem dicit, non impunitum futurum: quia innocentem nullis prouocantibus meritis arguendo uult esse reum. Quod autem dicit de eo qui inique arguit non effugiet, quid aliud debet intelligi, nisi iram dei non effugiet, qui aliquem nõ sic corripit ut emẽdet, sed ut se procaciter iactet? Al. uideri Sed de contemptoribus præceptorum dei & de correptionis ac patientiæ uirtute, sufficiant ista quæ diximus, ne uno capitulo iusto amplius immorati, aut cætera breuius quàm necesse sit transcurramus, aut intentionem uestram longitudine nimium protelati uoluminis oneremus. Videamus itaque quid nos etiam continentia capituli sequentis edoceat, utrum inquit congregandis fratribus aut alendis expediat facultates ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni.

QVOD SACERDOTES NIHIL proprij habere debeant, & ecclesiæ facultates quasi communes, utpote pro quibus deo rationem reddituri sunt suscipiant.

CAP. IX.

Expedit

Ecclesiæ facultates non sunt propriæ, sed communes.

EXpedit facultates ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates, & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut uenditis, fit rei suæ contemptor, cum præpositus fuerit factus ecclesiæ, omnium quæ habet ecclesia efficitur dispensator. Denique sanctus Paulinus ut ipsi melius nostis ingentia prędia quia fuerunt sua, uendita pauperibus erogauit, sed cum postea factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensauit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimẽto perfectionis posse ecclesiæ quæ sunt, profecto communia possideri. Quid sanctus Hilarius? nonne & ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut uendita pauperibus erogauit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia nõ solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibꝰ ampliauit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti põtifices factis euidentibus clamant posse & debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines tam secularium quàm diuinarum literarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ debere contemni, nunquam eas habuerant, qui omnia sua reliquerant. Vnde datur intelligi, quod tales ac tanti uiri qui uolentes esse Christi discipuli, renunciauerũt oĩbus quæ habebãt, nõ ut possessores, sed ut ꝓcuratores facultatis ecclesię possidebãt. Et idcirco sciẽtes nihil aliud eẽ res ecclesiæ, nisi uota fideliũ, precia peccatorũ & patrimonia pauperum, non eas uẽdicauerũt in usus suos ut ꝓprias, sed ut cõmendatas pauperibꝰ diuiserũt. Hoc est eñ possidẽdo cõtẽnere, nõ

Paulini laus.

Hilarij prɇconiũ.

Res ecclesiæ sunt patrimonia pauperum.

sibi sed alijs possidere, nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subueniendi suscipere, quod habet ecclesia cum omnibus nihil habentib' habere commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare quàm perdere.

CVM QVO DAMNO ANIMAE suæ ab ecclesia quæ pauperes pascit accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt. CAP. X.

NEc illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid uolunt, sine grandi peccato suo unde pauper uicturus erat accipiunt. De clericis quidem dicit spiritus
Ose 4. sanctus. Peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere uidentur accipiunt, ita possessores non alimēta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes si se possunt suis artificijs aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis aut infirmus accipere, ne forte ecclesia quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, grauata illis quibus subuenire debet non ualeat. Qui autem ecclesiæ seruiunt & labori suo uelut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent aut accipiunt aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant quod ecclesiæ fideliter seruientes stipendia terrena ac nō potius præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia quia cœlestia nō habet, terrena strennue militantibus præstat. Vnde satis indignum est, si fidelis et operosa deuotio clericorum propter stipendium temporale præ

mia

mia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister ecclesiæ non habeat unde uiuat, non est premium hic, sed necessaria præstat ecclesiæ, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac uita iam spe dominicæ promissionis certus expectat. Illi quoque qui uel idonei nihil quidem sibi dari uelut debitum poscunt, sed tamen ecclesiæ sumptibus uiuunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui ecclesiam quam iuuare de proprijs facultatibus debuerunt, suis expensis insuper grauant, propter hoc fortassis in congregatione uiuētes ne aliquos pauperes pascant, ne aduenientes suscipiant, aut ne suū censum expensis cotidianis imminuant. Quod si aliquid de fructibus suis ecclesiæ uelut pro ipsa expensa sua contulerint, non se præferant inani iactantia illis, quos nihil habentes pascit & uestit ecclesia: quia perfectior est ille, qui se mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, q̄ ille qui ex multis quæ possidet ecclesiæ aliquid præstat, ac se de eo quod prestiterit forsitan iactat. Dura sunt quę dico, nec ego diffiteor. Dura sunt, sed obseruare nolētibus. Cæterum si faciant ista quæ difficilia non facientibus sunt, statim facientibus facilia fiunt. Non ergo ea quæ nolumus obseruare impossibilitas nobis facit dura, sed nouitas. In usum ueniant, & neminem frequentata couturbant. Nam quæro, quid eorum sit quod dixi difficile, ut homo id quod opus non habet ab ecclesia non accipiat, an ut quod habet sine causa contemnat. Si propter hoc non uult sua relinquere ut habeat, unde uiuat, ut quid accipit unde rationem reddat, ut quid peccatis alienis sua multiplicat?

Taxat sacerdotū auaritiā.

Al. excipiant.

QVI SVNT QVI ETIAM CVM profectu animæ suæ opibus sustentantur ecclesiæ. CAP. XI.

ITaque sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut relinquit, aut ecclesiæ rebus adiungit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tanquam pauper uoluntarius uiuat. Clerici quoque quos pauperes aut uoluntas aut natiuitas fecit, cum perfectione uirtutis uitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione uiuentes accipiant: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit uiuendi necessitas.

QVID FACERE DEBEANT clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere.

CAP. XII.

ILLI autem qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renũciare non possint, si ea quæ accepturi erãt dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua. Qui & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando proprijs contenti rebus, nihil eorum quæ labori uel ordini suo deberi arbitrantur accipiunt. Quod si putant ideo accipi debere eorum, quæ conferuntur ecclesiæ portionem, ne eam uideantur abijcere, se uero non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos pauperes reddi, nouerint esse deformius possessores de eleemosynis pauperum pasci.

Quæ

QVAE SINT VERA GAVDIA uel ueræ diuitiæ, & quid impedimenti afferãt bona præsentia amatoribus futurorum.

CAP. XIII.

HEV quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cęcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, unde iustius gaudeamus, aut ne cupientes augeri diuitijs, nouerimus quas quibus incõparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est, sed qui gaudet si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, quum desiderata rapuerit, gaudet & ebriosus, quum exoptatæ occasionem potationis inuenerit, gaudet & adulter, quum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit. Sed cum sit gaudere bonum, de his atq; huiusmodi gaudere grande est malum. Hæc & his similia sunt unde gaudere nos uult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione uirtutum, de dono dei, & de promissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus. Ditari quoq; diuitijs grande est bonum, sed inde ditari unde non debeas, non est habenda facultas, sed detestãda calamitas. Nihil enim calamitosius, nihilq; miserius eo, qui iniquis adquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possint pariter & munire, quas nec adquirere possumus inuiti, nec perdere, quæ nos contra hostiles impetus armant, à mundo disterminant, deo cõmendant, ditãt animas nostras atq; nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Diuitiæ nostræ cre-

Mundus unde gaudere nos uelit.

Nihil miserius q̃ fraudibus locupletari.

Ambiendæ diuitię quæ ornare ac munire possunt.

Diuitiæ ueræ quæ sint. credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos, iusticia quę iustos, pietas quæ pios, humilitas quæ humiles, mansuetudo quæ mansuetos, innocentia quæ innocentes, puritas quæ puros, prudentia quæ prudentes, temperantia quæ temperantes, et charitas quæ nos facit deo & hominibus charos, uirtutum potentes, seculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hęc sunt non omnium, sed sanctorum sanctæ uirtutes, non diuitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, diuitię incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi illi qui illis carnalibus ex corde renunciant. Quæ quamuis & ipsa sint bona utpote à bono deo creata, tamen quia sunt bonis malisq; communia, student ea spirituales uiri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria peruenire, quoniam non est tale bonum quod habent & mali, quale illud est, quod nõ habent nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium, quando habent iusti, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio, fit exercitium iusti et iniusti supplicium, quia & iustus desiderio cœlestium captus, omnia temporalia siue habeat siue amittat, omnino non sentit, & iniquus quod cum delectatione habet, sine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis qui militant deo fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere uolunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore nõ perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit. Volo uos sine sollicitudine esse. &, radix omnium malorum est auaritia. Quam quidam appeten

(Margin: al. habuit. Militantibus deo fugiendæ sunt diuitiæ. 1. Cor. 7. 1. Tim. 6)

appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis, ac sic census iste terrenus eis à quibus uiciose diligitur, non est uoluptatum materia, sed dolorum. Quapropter expedit facultates ecclesiæ possideri, ut inde uiuant, qui non seculo, cuius gaudia fugitiua repudiant, sed deo seruiunt, cuius ineffabilia bona desiderant.

QVALITER INTELLIGATVR quod dicit Apostolus, qui in sacrario operantur, quę de sacrario sunt edant. CAP. XIIII.

DE talibus dicere uidetur Apostolus, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altario deseruiunt, cũ altario participant. Qui nisi hoc de contemptu facultatum suarum uellet intelligi, nunquam secutus adiungeret. Ita & deus ordinauit his qui Euãgelium adnunciant, de euangelio uiuere. De euangelio uiuũt, qui nihil habere proprium uolunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, nõ suorum sed communium possessores. Quid aliud est de euangelio uiuere, nisi laborantẽ inde ubi laborat necessaria uitæ percipere? Apostolus tamen qui sic euangelium prædicauit, ut nec de euangelio uiueret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter eloquitur: Ego autem nullo horũ usus sum. Et quare hoc dixerit, secutus aperuit dicens: Expedit mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. Euacuare dicit gloriam suam, si ab eis quibus prædicabat uoluisset accipere uitæ corporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum sed in futuro recipere. Si ergo ille qui nihil habuerat,

1. Cor. 9

Al. contẽptoribus.

Ibidem.

De euangelio uiuere.

Ibidem.

Ibidem.

Al. tẽporalis.

noluit de euangelio ubi laborabat, sed suis manibus uiuere, ne gloriam suæ mercedis amitteret, quid nos qui & propria nolumus amore possidendi non uiuendi necessitate relinquere, & accipere insuper uolumus non unde uiuamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

DE CVPIDITATE, QVALITER eis quos semel inuaserit dominetur. CAP. XV.

IVbet ecce nobis imperiosa cupiditas, ut diuina par uipēdentes possessionum terrestrium damnosa cōpendia cogitemus, ut in eis totam sollicitudinem curamq; ponamus, ut inde nos morbida uanitate iactemus, ut amplitudine patrimonij diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. O facinus inauditum. Suaui iugo Christi cōtempto, ferreum cupiditatis imperium uoluntaria mentium inclinatione suscipimus, & domini nostri leui onere, quod subiectos non onerat, sed subleuat post habito, plumbeum pondus nostris ceruicibus aggeramus, quod citius potest deponi quàm ferri, quia & ipsa cupiditas quæ nobis subijci ultro uolentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius quàm expleri, & ideo qui se illi uolentes dediderint oppugnanti, uoluntatem resistendi ulterius nō habebunt tyrānice dominanti. Et hoc fit iusto dei iudicio, ut qui cupiditati resistere noluim⁹ ingressuræ, iā resistere nequeam⁹ ingressæ. O plāgendū miserabilē mētis expugnatæ seruitiū. O intolerādū dæmoniacæ cupiditatis imperiū, ut ex hostib⁹ suis quos pōt uincere faciat suos, promittit ingentia, & bonorū tēporalium pollicitatione deceptos impellit, iam miseros & miseran-

Præposterus ordo.

al. exequendum.

miserandos in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, & in sua ditione captiuos, nec trahit inuitos, sed quod est deterius quoscunque uoluerit uolentes ducit. Vastat in nobis quicquid uere cundiæ, aut pudoris inuenerit, et quos suis triumphis addixit, adhuc tanquam resipiscendi suspectos omnibus uiribus honestatis exarmat, ne quando contra eã qui bellare noluimus, rebellem⁹. Rapit nos ac passim per omnia adquisitionum genera cupidos adquirendi dispergit, non permittit animum liberum, non stabile corpus uagante animo mobiliter, aut quietum, & uelut quædam cadauera in pastum feris auibus bestijsq; proiecta, captiuos suos immundis spiritibus trahit, non lacerandos, sed auidissimis mortiferorum criminum faucibus deuorandos, nec tamen ut esse iam desinant, sed ut pœnaliter uiuant. Denique in uiuis corporibus adhuc portant funera sua, sed idem uiui simul & mortui. Hinc est, quod peccato uiuentes quantum nos cõgestarũ opum oblectet accessio, ipsa fruendi carnalibus delectatione sentimus, & quantam uirtutum sustineamus inopiam, uelut mortui uirtutibus ignoramus.

Plangendum seruitium. Al. iam.

A[...]uacante. Al. tradit.

QVOD DEVM PERFECTIVS illi possideant, qui terrenis possessionibus ex corde renunciant.

CAP. XVI.

HAec sunt propter quæ non explendis uoluptatibus ac fouendis, sed congregandis fratribus, aut alẽdis expedit facultates ecclesiæ possidere, ut uno sollicitudines omnium in sua societate uiuentium sustinente, omnes qui sub eo sunt fructuosa uacatione

Notat ociosa quiete perfruentes.

ne potiantur spiritualiter & quiete. Ideo interposui istud aduerbium, quoniam qui ociosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter uixerit, more pecudum uiuit. Et ideo is quem nulla corporeæ necessitatis cura sollicitat, nulla occupatio domesticæ sollicitudinis inquietat, nullus litigator infestat, nullus calumniosus exagitat, quid aliud curare debet harum molestiarũ & his similium liber, nisi unde ad meliora proficiat, unde uicia sua profectibus cotidianis imminuat, uirtutes augeat, & pro carnalibus quæ contempsit spiritualia bona possideat, in his sediuinitus adiutus exerceat, ea semper amplectatur ac diligat, & non solum omnib' alijs delectationibus suis, sed etiam ipsis suę carnis cruciatibus anteponat, ut qui nihil sibi reliquit, quod formidaret amittere, ea pro quibus omnia quę habebat, abiecit, tanta firmitate fidei retineat, ut si necesse fuerit, pro eis libenter suum corpus impendat? Proinde quem possidendi delectat ambitio, Deum qui possidet omnia quæ creauit expedita mente possideat, & in eo habebit quæcunq; habere sancte desiderat. Sed quoniam nemo possidet deum, nisi qui possidetur a deo, ipse primitus dei possessio, & efficitur ei deus possessor & portio. Et quid potest eo esse felicius, cui afficit suus cõditor cẽsus, & hęreditas eius dignat esse ipsa diuinitas, si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo iugiter uiuat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium cõditor cui nihil eorum quę fecit ualet ęquari, non dignatur cum his quæ condidit possideri. Denique quid ultra quærit, cui omnia suus conditor sit, aut quid ei sufficit cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, & ab illo possidebatur ille qui dicebat in spiritu.

Portio

Portio mea dominus, dixi custodire legem tuam. Et, Psal. 118
Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Sed & Psal. 15
ipse cum dicit, filijs Leui non dabitis partem inter fra- Num. 18.
tres suos, ego dominus portio eorum, satis ostendit q̃d Deute. 18
hi qui terrenæ hæreditatis cõtempserint portionem, Quisquis
deum spiritualiter mereantur possidere, cuius ditati tempora
muneribus omnia quæ præclara habentur in hoc mũ lia bona
do fastidiunt, & ipsum possidere uel ab ipso possideri, sectatur,
eo solo perfrui atque illi adhęrere inseparabiliter cõ- superna
cupiscunt. Vnde datur intelligi, quod qui temporalia non dili-
bona, qui seculi gaudia peritura sectatur ac diligit, quę git.
& quanta sit multitudo supernæ dulcedinis non didi- Al. diuinę
cit. Quis enim cui deus dignatur esse possessio aliquid aliud quærit, aut quis non pro amore illius omnia quę putantur magna contẽnit? Ergo qui uult deum possidere renunciet mundo, ut sit illi deus beata possessio. Nec renunciat mundo is quem terrenæ possessionis adhuc delectat ambitio: quia quamdiu sua non relinquit, mundo cuius bona retinet seruit, & utiq; non potest mundo seruire simul & deo, ac sic propter ea uoluit deus cultores suos omnibus renunciare, propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mundi diuina in eis charitas possit augeri uel perfici. Et ideo Ibidem.
decimas atque primitias frugum, primogenita & sacrificia pro peccato, uel uota quæ sibi deus iussit offerri, sacerdotib⁹ ac ministris distribui debere constituit, ut deuotissimo populo uitæ necessaria ministrante, ipsi creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent, atque in eius cultu sine ulla sollicitudine corporali proficerent, ne terrenis occupationibus implicati officio suo dignas excubias strennue curare nõ possent. Nunc autem quod Christiani temporis sacerdo-

tes magis sustinent, quàm curant possessiones ecclesiæ, etiam in hoc deo seruiunt, quia si dei sunt ea quæ conferuntur ecclesiæ, dei opus agit, qui res deo consecratas non alicuius cupiditatis, sed fidelissimę dispensationis intentione non deserit. Quapropter possessiones quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed dei, quoniam si uestes ac uasa & cætera quæ in sacris usui ministrantibus erant, sancta uocabantur, nec in usus humanos reuocari iam poterãt diuinis semel ministerijs consecrata, quomodo non ea quæ conferuntur ecclesiæ sacra credenda sunt, quibus non ut seculi rebus luxuriose, sed sancte ut deo consecratis utuntur ad necessaria sacerdotes, ut illis omnibus qui se perfectionis amore sub uno constituunt, & sua sibi nõ uendicant, ecclesiæ facultates ad hoc ipsum collectæ sufficiant, ut quicquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius qui unus pro multis occupatus est, fiat, atq; ita ille qui sollicitudines omnium sub se seruientium portat, in congregatione sua proficiente proficiat, ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa uacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa magistri honor habeat & gloria.

Possessiones à populo oblatæ sacerdotibus deo deputantur.

Leuit. 27

Al. uiuentium.

QVOD NIHIL PROFICIANT, qui abstinentes à cibis, uicijs seruiunt, nec prosit facultates abijcere, qui suas faciunt uolũtates. CAP. XVII.

ITem quæsistis quæ sit abstinentiæ credenda perfectio, & utrum tantũ corpori, an & animæ debeãt necessaria ministrare. Si hominem totum uirtus hæc quæ abstinentia nominatur perfecta sanctificat, non solum corpori, sed & animę necessaria est, quia omnis homo

homo ex corpore constat & anima. Sed in eis qui diuersis uicijs subiacentes aliquid sibi eorum quæ usui nostro necessaria sunt interdicunt, abstinentia quidē, sed carnalis & imperfecta esse debet intelligi. Ea autem spiritualis atq; perfecta est censenda, quæ abstinētem tam illecebris carnalium uoluptatum, quàm à peccatis omnibus facit alienum, cuius nec animum desideriorum morbi corrumpunt, nec imperio gulæ dominantis quæsitæ deliciæ uires corporis frangunt. Proinde ille abstinens uere credēdus est, qui uiciorum omnium liber effectus est, ac recisis corporalibus uoluptatibus elaborat, non ut concupiscentiam suæ carnis exatiet, sed ut mortalem uitam necessariorum perceptione sustentet, quoniāquidem quicquid sine quo potest uiui percipitur, non sustētandæ uitæ, sed fouendę luxuriæ carnis impenditur. Hæc itaq; uirtus quæ abstinentia non solum delicatorum ciborum, sed etiam malorum omnium nuncupatur, cū omnibus omnino necessaria sit, tum maxime illis familiarior atq; cōiunctior esse credēda est, quibus iuxta illud quod in actibus apostolorum legitur factum, unum cor esse, & anima una diuinæ charitatis igni conflata, & quibus sub unius ordinatione uiuentibus omnia omniū communia fiunt, si tamē ita eis una sit uita, sicut fit una substantia, & nulla sit in eis diuersitas aīorū, quibus est cōmunio facultatū, quia ut fieret & esset aīorū sancta coniūctio necessaria est facultatū iudicata cōmunio. Cęterū quid eis ꝓdest q̄d facultates suas abijciūt, qui uoluntates proprias non relinquunt, cum sit longe præstantius uolūtatibus proprijs abrenūciare q̄ rebus? Res suas etiā mūdi quis philosophi abijcere potuerūt, et nūc quilibet hęretici possunt. Sed nec illi cū suæ uoluptatis fuerint

al. cōcessa

Abstinentia perfecta quæ sit.

Al. corporeis.

Abstinentia nō solū ciborū, uerūetiā malorum omnium nūcupat.

Actu. 4.

Præstat uoluntatibus abrenunciare, q̄ rebus.

Al. uoluntatis.

Al. fieret. fuerint amatores, secundum uoluntatem dei uixeri & isti dominicæ uoluntati suæ uoluntatis studio c tradicunt. Non ergo res ea nos deo cómendat, qua & inimici dei faciunt, sed illud quod nō nisi uere Chstiani, & per hoc amatores dei perficiunt. Hi sunt q uoluntatibus suis & rebus proiectis suo se creatori toto corde subijciunt, ac suum uelle ex eius uolunta suspendunt: & ideo quicquid eis sensus carnis sequ dum faciendumq; suggerit, iusticiæ capti delectatio ne contemnunt.

QVANTA BONA PRIMVS HOmo abstinentiæ bonum negligendo perdiderit. CAP. XVIII.

QVod si primus homo uoluisset se in illa par disi beatitudine custodire, ut à fructu uni interdictæ arboris ieiunasset, nec statum illum tan felicitatis amitteret, nec eum uoluntaria salutaris pr cepti transgressio necessitati corruptionis ac morta tatis addiceret, ut tanta beneficia dei sui quæ in nat ra suæ conditionis acceperat, aut corrumperet pec do corruptus aut perderet. Quis enim sufficiēter e meret quæ & quanta bona illi abstinentiæ conten ptus ademerit, quod intellectualis mentis dignita donatus, imaginem sui creatoris accepit, quod soli d suo subiectus omnia uisibilia sibi subiecta conspex quod ei ad uiuendi usus affatim lignorum omniu quæ erant in paradiso feracitas diuina iussione ser uit, quod arbor uitæ mysticum cibum non unde ui ret, sed unde uitam corporis non finiret sui creato munere ministrauit, qui cibus quamdiu perciperetu ita percipientem se in uno statu sacramenti cuiusda

Al. pecca to. latenti

latẽtis figurata significatiõe seruaret, ut eũ nec ulla infirmitate corrũpi, nec ętate mutari & senescere, nec dissolui morte permitteret? Nõ ingetabat molesta sollicitudo quietũ, nõ fatigabat labor anxi⁹ ociosum, nõ somn⁹ opprimebat inuitũ, nõ amittẽdæ uitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilẽ uictum corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax dei. Postremo quid eo felicius fuit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus & uisibilis deus? Quoniamquidem nisi ante peccatum deum uidere in assumptione uisibilis creaturæ soleret, quomodo se iã peccator effectus, à facie domini quem nunquam uiderat, se absconderet? Potuit ergo ita uidere deum priusquã peccaret Adam, sicut eum patriarchæ uiderunt. Sed quando ait, uocem tuam audiui & timui, ex illa iam uidendi deum sanctitate ciderat, iam se indignum uidendi deum reddiderat. Vocem tuam, inquit, audiui & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. O quantum securitatis habent, qui sibi bene sunt conscij, & quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati, sicut isti qui se absconderunt à facie domini, de sua turpitudine non de nuditate confusi, qui non ideo erubescebant, quia ueste erant extrinsecus nudi, sed quia intrinsecus protectione diuina nudati. Deniq; & ante peccatum nudi erant, & non erubescebant: quia nihil contra uoluntatem dei, unde confunderentur admiserant.

Genes. 3. Secura mens quasi iuge cõuiuium.

DE PECCATO PRIMI HOMINIS, & de malis quę illum peccantem deo iudicãte secuta sunt. Cap. XIX.

SED iam uideamus, si placet, qualiter illi homines primi commiserint tam grande peccatum, quod & ipsos de paradiso proiecit in hoc uitæ pœnalis exilium, & in eis originaliter totum damnauit genus humanũ. Et mihi quidẽ uidet̃, q̃d non ederẽt de ligno prohibito, nisi cõcupissent, nec cõcupissent, nisi tẽtati, nec tentarentur, nisi deserti, nec desererentur à deo, nisi ipsi prius desererent deum, nec desererẽt deum, nisi superbirent, & similitudinem dei miserabiliter appetissent, ad quam peruenturi essent sine corporis morte, si sub deo suo uiuentes, præceptum quod acceperant custodissent, ut qui posse mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria, & ibi acceptum essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisset peccare noluisse. Nõ igitur creatori suo in creaturam diuinitatis affectatione collapsos moueret aperta concupiscentia, nisi eos antè corrupisset occulta superbia, nec eis per serpentem diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. Si, inquit, gustaueritis de ligno scientiæ boni & mali, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Hæc sunt illa tria quæ in mundo esse & diligi non debere à dilectoribus dei contestatur Iohannes apostolus dicens. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Quæ nisi illi qui à dilectione dei iam defecerant, diligere cœpissent, nunquã male suasi serpentis consilio credidissent. Itaque concupiscentia carnis ab eis impleta est, quod de ligno ue-

Al. concupiscerent. Al. concupiscerent. al. dãnabiliter. Al. affectione. Gene. 3. 1. Ioan. 2. Al. concupiscerent. Al. male suadi.

tito gustauerunt, concupiscentia oculorum, quod sibi aperiri oculos cupierunt, & ambitio seculi quod se fieri posse, quod deus est, crediderunt. Proinde delectatione carnis & oculorũ curiositate ac seculi ambitione corrupti, à ligno uitæ, ex quo eis arcendę mortis ac salutis continuãdæ gratia præstabatur, abscisi sunt, & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, ut iuxta sententiam dei eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi, & per lignum illud quod scientiæ boni & mali ex causa nomen accepit, à quo se abstinere cum possent miseri neglexerunt, quid interesset inter bonum quod amiserant, & malum quod incurrerant, ipsa pœna sua decernerent, qui si amisso tanto bono nullum malum incurrerent, quale perdidissent bonum, forte nescirent. Dulcior enim fit salus, cum dolor excruciat, & sanitatis amissæ dulcedinem, languoris amaritudo commendat, ac sic ad hoc illi malum non discendo, sed experiendo sentire cœperũt, quod melius ignorarent, ut ex ipsa miseria sua sentirent, quantam beatitudinem perdidissent, atq; ita quos non mouerat fortassis boni naturalis amissio, moueret saltem mali pœnalis iusta perpessio. Hæc per excessum necessarium dicta sunt nobis de primis hominibus, ut qui nolunt damnationis eorum subire supplicium, caueant prolapsionis exemplum.

Gene. 2.

Dulcior est salus, cũ dolor excruciat.

QVOD OMNIA BONA QVAE in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati recipiemus.

CAP. XX.

QVamuis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed

Christum in quo renati sumus & uiuimus, quando ueterem conuersationẽ salubriter innouari deponimus. Quid est imitari Adam, nisi pro carnalibus desiderijs ac concupiscentijs morte mulctari? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentijs ac desiderijs crucifigi? Sicut aliud non est ueterem conuersationem deponere, q̃ non secundum carnem quæ ueterascit & moritur, sed secundum deum uiuere, qui solus põt perseuerantes in se innouare perhẽniter & beare. Quapropter sicut quando in Adam fuimus omnes, ipso cadente occidimus, ita quia in Christo iam esse cœpimus, qui pro nobis omnib⁹ dignatus est mori, ut nos peccatis nostris illi commortui cum illo spiritualiter resurgamus, in illo omnia bona quę potuimus habere perdidimus, in hoc etiam maiora & sine fine habenda recepturi sumus, si perseueranter eius uestigia teneamus. Adam nos sub noxa habuit malis omnibus per propriam culpam, à quibus nos liberauit aduentus Christi per gratiam. Ille in nos culpam suã transmisit & pœnam, hic qui culpam nostram suscipere, utpote conceptus & natus sine peccato non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul abolere potuit & pœnam, & ut totum dicam, Adam nobis eripuit paradisum, Christus donauit cœlum.

Quid sit imitari Adã aut Christũ.

Al. cecidimus.

QVALITER VIVERE DEBEANT qui Christum imitari desiderant. CAP. XXI.

1. Ioan. 2.

ET ideo si in deo esse uolumus quod esse debemus, sicut Iohannes Apostolus dicit, quomodo ille ambulauit, & nos spiritualiter ambulemus. Quid

est

est ambulare sicut ille ambulauit, nisi contemnere omnia prospera, quæ contempsit, non timere aduersa quæ pertulit, libenter facere quę fecit, fieri docere quę docuit, sperare quæ promisit, & sequi quo ipse præcessit, præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, misereri peruersis, inuitare aduersos, suscipere in charitate conuersos, & æquanimiter pati subdolos ac superbos? Ad hoc etiam pertinet, q̊d ait sanctus P. Apostolus. Si resurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens. Illi resurgunt cum Christo, qui moriuntur sicut ille peccato, ea tamen distinctione seruata, q̧ ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro. Vnusquisq; autem nostrum, non omniũ moritur peccato, sed suo. Quid est peccato mori, nisi damnãdis operibus omnino non uiuere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Vt sicut qui mortuus est carne, nulli iam detrahit, nullũ aduersatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nemini uiolentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non inuidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inseruit, non uinolentiæ deditus, in se bibendi sitim bibendo magis ac magis incendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia iniusta sectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum iniurijs fatigatur, non eum superbia inflat, non ambitio uentosa præcipitat, non uana gloria turpiter iactat, nõ desiderium gloriosę opinionis inflammat, non distẽtio alieni actus illaqueat,

Colo.3.

Surgere cũ Christo quid sit.

Peccato mori q̄d sit.

Al. accendit.

Al. distentatur.

Al. distinctio.

non ad societatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptuosarum deliciarum studiũ mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat, non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum inclementia, uarium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum uesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, uanũ iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, sæuum crudelitas, manducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilẽ instabilitas, uagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum peruersitas, uerbosum uanitas, iniuriosum malignitas, q remot⁹ ẽ, prsus à secularib⁹ desiderijs, remot⁹ ab inimicitijs, remot⁹ ab insidijs alienis, remot⁹ à rapinis uel occultioribus uel apertis, remotus à mendacijs siue periurijs, postremo remotus ab omni genere flagitiorum atq; facinorum, quibus carnaliter uiuentes deũ offendũt, & mortui peccato nõ seruiunt, sicut in quã carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita et his & talibus uicijs omnino non uiuunt, qui uiuẽtes deo carnem suam cum uicijs & concupiscẽtijs crucifigunt.

Al. manduconem turpem edacitas. Al. irrisorem. Al. illecebris.

QVALI TEMPERANTIA VTI DEbeant, qui à uoluptate delectabilium uel ab immoderata perceptione ciborum communium atque à uini immoderato usu cupiunt abstinere CAP. XXII.

MEmbra sua quæ sunt super terram mortificant, quando insolens corpus ieiuniorũ continuatione castigant, quando intra necessarium modum suum temperant appetitum, quando non solum se à delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt, sed etiam in ipsis cõmunionibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandę uitæ necessitate per

Al. cõmunibus.

mittunt, certi quod nec deliciæ quælibet, si absq; desiderio percipiantur, officiunt, & uiles sibi plærumque abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur impediunt. Hinc est quod sanctus Dauid aquæ in se concupiscentiam castigauit, atque eam sibi à suis oblatam ne desiderio suo ex ea satisfacere uideretur effudit, & sancto Heliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Vnde datur intelligi, quod ueraciter abstinentes escarum non naturas, sed concupiscentias damnēt, ac uoluptates suas desiderati cibi uel potus abusione mortificent. Qui autem nō solū à qualitate, sed etiam à quantitate ciborum cupiūt abstinere, nihil aliud student, nisi ut quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ satis esse uidetur indulgeant, nec expleant suos appetitus auiditate percipiendi, sed comprimant, atq; eis saturitas edendi finem nō faciat, sed uoluntas, qui tam à cupiditate præciosorum ciborum animos, quàm à nimia perceptione uilium continebunt, qui cibis nec lautioribus uolunt carne luxuriante dissolui, nec distentione uentris onerari, quando abstinentes uiri nec deliciosi soleant esse nec auidi. Iam de uino abstinendo uel percipiendo quid dicam? Vnde sanctus apostolus certam fixit regulam dicēs. Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Quasi diceret. Luxuriam facit & nutrit uini perceptio nimia, non natura, & propterea non uti uos uino, sed inebriari prohibeo, quandoquidem infirmū stomachum moderatus usus uini confortat, ebrietas animum corpusq; debilitat. Deniq; Timoth. suo discipulo qui se longa abstinētię districtiōe iā fregerat, & stomachū suū aquę pceptiōe corruperat, modico uino uti debere pcipit dicēs. Noli adhuc aquam bibere, sed modico uino utere propter

2. Re. 23.
1. Par. 11.
3. Reg. 17
Ephe. 5.
Moderatus uini usus confortat.

stomachum tuum,& frequentes tuas infirmitates. Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt,qui uinum non pro ebrietate,sed tantum pro corporis salute percipiunt, nec hoc eis offert uoluntas, sed permittit infirmitas. Quae si defuerit, à uino est abstinendum, ne uini perceptio quae infirmum sustentat, sanum corpus incendat, quandoquidem uino uti & usui habere oleum, nullus dixerit esse peccatum. Sed haec ideo non debemus carni desideranti praestare, ne cum illicita concedere ceperimus,poscat illicita,et sibi obsequentes in minimis,in flagitia punienda compellat,ac naturae ordine perturbato,non spiritui corpus, sed spiritus corpori dominanti deseruiat. Huc accedit quod & ipsam mentem abstinentiae fructus alacrem facit, carnem quoque non usque ad lassitudinem fatigatam,sed spiritui ordinanti subiectam mobilem reddit. Sensus etiam quod dicuntur crassos efficere, uel grauare congestae deliciae, consuetudo parcitatis exonerat,& uelut quaedam politura religiosae exercitationis attenuat.

Al. ꝑcipiert

Al. naturali.

Al.quadā

QVOD VTENTES CARNIBVS concupiscentia carnium polluat,non natura. CAP. XXIII.

CAeterum si à quadrupedibus abstinentes, phasianis alitibus uel alijs auibus praeciosis aut piscibus perfruantur, non mihi uidentur resecare delectationes sui corporis,sed mutare,nec pro abstinētia, sed uelut pro,nescio,qua immundicia, uel certe quod uerius est,pro stomachi nauseantis teneritudine delicatas illas communes ac uiles carnes abijcere,quo possint

Al.altilibus.

fint alijs non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac preciosioribus carnibus suas uoluptates explere, cum sicut iam supra patuit, non aliquarum carnium, quæ usui humano cōcesserunt, nobis naturæ damnandæ sint, quas deus instituit, sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores uideri uolunt, & gloriam sibi uelut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus iudicant temperandum, ut peregrinis pomis ac sorbitiunculis delicatis cæterisq; alijs immanem sui corporis impleant appetitum, cum spiritualis abstinentia nō aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadeat compescendum, & illi magis parsimoniæ seruire censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt. Illi quoq; qui negata sibi uini perceptione diuersorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abstinentiam uidentur implere, quia ad hoc fortassis à uino se suspendunt, ut mercentur ab hominibus laudem, & interdicti sibi uini perceptionem compensant suauioribus poculis uoluptatem. In uini enim usu abstinens non à uino tantum, sed ab omnibus quæ accipientes inebriant, uel ab alijs quæ & si non ebrietatem, suauitatem certe conceptam conciliant, abstinebit ut sit ueritate abstinentiæ perfecte consummatus, non eius imagine foris splendidus, intus cauus, hominibus uelut purus, & deo simulatę uirtutis sordibus plenus. Nec minus à cupiditate possidendi superflua, quàm à uoluntate percipiendi nobis est abstinendum, qm̄ cum omnia quæ habemus pro nostris usibus habeamus, ea quibus uti nobis ardenter habere uelle, uel etiam lucris hinc inde quæsitis

Non solū à cupiditate possidendi, uerumetiā à uoluntate percipiendi abstinendum.

tis

tis augere, nihil est aliud quàm non tolerandæ necessitati, sed intolerandæ cupiditati seruire, nec possum dicere, ut sit unde pauperibus cotidie erogetur, mea possideo, quando nemo perfectius erogauerit, eo qui nihil sibi perfectionis intentione relinquit ex proprio.

QVAM VTILE SIT, IEIVNIO uel abstinentiæ aduenientium charitatem plærumque præferre.

CAP. XXIIII.

VEruntamē sic abstinere uel ieiunare debemus, ut non nos ieiunandi uel abstinendi necessitati subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem uoluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio intermisso reficio, nō soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium Cæterum si propter abstinentiam spirituales fratres, quos noui mea remissiōe delectari, contristo, abstinentia mea non est uirtus dicenda, sed uicium: quoniāquidem ipsa abstinentiæ ac ieiuniorum continuatio, nisi fuerit quando res exigit prætermissa, & me inflat, & fratrē meum cui charitas iubet seruiri contristat, uel certe mihi nihil inesse charitatis fraternę demonstrat, cum sine abstinētia quēlibet hominem catholicum charitas sola perficiat, & omnes abstinentia aut perdat sine adiunctione charitatis, aut pereat. Quia ergo abstinere aut ieiunare etiam Manichęi uel quilibet alij hæretici possunt, utpote, qui omnes carnes non pro abstinentia, sed pro immunditia detestantes, corpora sua panis & aquę perceptione afficiunt, non pro magno ducamus, quādo ab his quæ illi quoque reijciunt abstinemus, sed quando abstinentiam

Hæretici uidentur abstinere

etiam nostram fides cõmendat, charitasq́ consummat, quas uirtutes illi non habentes occidere se possunt, ædificari autem aut perfici taliter abstinendo non possunt. Ipsis uero catholicis Christianis qui siue non ualendo abstinere, siue uolendo omnia usui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, nõ nos propter abstinentiam præferamus, ne forte plus humilitatis aliarumq́ uirtutum habeant illi, unde nobis iure abstinentibus præferantur. Quocirca si uolumus nobis abstinentiam nostram ieiuniaq́ nostra proficere, à superbia imprimis quæ aut expellit omnes uirtutes aut minuit, & iactantia cunctis inimica uirtutib⁹, atq́ ab omibus uicijs omnino discedamus, ut prosit nobis quod à cibis delicatioribus abstineam⁹, quia tũc nobis pderit, q corpora nostra uel certe corpori incẽtiua rigore districtiõis abstinẽtię castigamus, si carnalib⁹ desiderijs absoluti, sanctis uirtutibus floreamus.

A superbia abstinentibus discedendum. Al. à cibis delectationibus abstineamus. Al. delectabilibus.

Sed iam finem liber accipiat, ut de uirtutibus ac uicijs, unde hic pauca tetigimus, latius ac plenius in tertio uolumine donante deo disputemus.

*

FINIS LIBRI SECVNDI.

INCIPIT PROLOGVS libri Tertij.

DE uita contemplatiua & quantum ab ea differat actualis, uel qualiter possitis ipsius contemplatiuæ uirtutis fieri adiuuante deo participes, in primo uolumine absolui. De actuali quoq; uita, ubi quæ esset religiosę increpationis utilitas ac patientiæ uirtus ostensa est, & qualiter tractandæ essent ecclesiæ facultates, uel de dono spiritualis abstinentiæ, quæ dicẽda uisa sunt, deo donante in secundo libro disserui, nũc superest ut disputationem de uicijs atq; uirtutibus nõ ingenio fretus, cuius mihi conscius non sum, sed orationibus uobis adiuuandus incipiam.

FINIS PROLOGI.

INCIPIVNT CAPITVLA.

opus

FINIS CAPITVLORVM

IN-



INCIPIT LIBER TERTIVS, QVANTVM A ueris uirtutibus uirtutum similitudines distent.

CAP. I.



Væsistis quantum à ueris uirtuti bus uirtutũ similitudines distent, nõ dico q̃tum à medicamẽto uenenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties sanat, ut id defendere à mortis necessitate non ualeat, & uenenum non auferri facit uitam corpori, quasi auferenda nõ esset, nisi fuisset acceptum, sed accelerat corporis mortẽ, quod erat aliquanto diutius forte uicturum. Sed plane dico à ueris uirtutibus tantum similitudines distare uirtutum, quantum distat à ueritate mendacium, quia & similitudo uirtutis, quæ uidetur uirtus esse, cum uirtus non sit, nihil est aliud quàm mendacium, & ideo non est uirtus dicenda, sed uitium. Et uera uirtus est ueritas, cui qui amando adhæserit, à peccati morte resuscitatus, mori ultra non poterit, nisi cum ab ea deprauata uoluntate recesserit. Sicut econtrario uirtutis simulatio quę est, ut dixi, mendacium, ueritati contrarium, animam separat à deo uitam suã non interiturã, sed in supplicio quæ est illius mors pœnaliter sine fine uicturam, scriptura dicente. Os quod mentitur occidit animam. Ac per hoc sicut uirtus animam sibi ueraciter inhærentem, si fuerit uera iustificat, ita simulata condem-

Al. amater.

condemnat. Et quid iustificatio animæ, nisi eius est uita perpetue beata, ac beate perpetua? Sicut condemnatio animæ pœna eius est sentienda, quæ mors probatur & ipsa perpetua. Itaq; dupliciter rea est anima, si & bonum non faciat, unde spiritualiter uiuat, & appetat similitudinem boni, sub qua male uiuat & lateat. Superbus uult se credi constantem, prodigus liberalē, auarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, gulosus humanum, ignauus quietū, timidum cautum. Impudentia fiduciæ sibi nomen adscribit, procacitas appellationem libertatis ostendit, eloquētiam fingit uerbositas, & curiositatis malum sub studij spiritualis colore delitescit. Hæc & si possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono dei quantum mihi uidetur, nec uirtutes possunt appeti uel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt uitia, uirtutes imitantia declinari in tantum, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiam si sunt aliquas per corp⁹ operati uirtutes, quod eas nec à deo suo se accepisse crediderūt, nec ad eum qui est finis omnium bonorum referre uoluerūt. Et quid dico? Nihil eis profuerunt, imò etiam nocuerunt, dicente Apostolo. Omne quod non est ex fide peccatum est. Non dixit, omne quod non est ex fide nihil est, sed dicendo omne, q̃d nō est ex fide, peccatum est, declarauit, q; omnia bona aut ex fide gesta uirtutes sunt, quæ profecto iustificant, aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed uicia, quæ non iuuant suos operarios, sed condemnant, inflatosq; præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus unde nullus ambigere uidetur exaggero, cū sanctus Apostolus etiā fideles quosdam qui credentes in deum, non secundum de-

Al. obtendit. [margin]

Rom. 14. [margin]

um, sed secundum hominem uiuunt, carnales nomi- 1.Cor.3.
net dicens, & ego fratres cum uenissem ad uos, non
uobis potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carna-
libus, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem
potestis, adhuc enim estis carnales? Et tanquam quæ
reremus quid carnales uelit intelligi, secutus adiun-
xit. Cum enim sit inter uos zelus & contentio, nõne Ibidem.
carnales estis, & secũdum hominem ambulatis? Quid
potest his duabus animi pestibus inueniri deterius ze Contẽtio
lo & contentione, quibus carnales qui secundum ho- & zelus
minem uiuunt, etiam in hac uita torquentur, cum & duæ ani-
contentio hæreticos reddat, & zelus imitatores dia- mi pestes
boli paradisum primis hominibus inuidentis efficiat?
Ac sic quando fideles iusticia, pietate, misericordia,
mansuetudine, humilitate, innocentia, cæterisq; uirtu-
tibus gaudent, aut secundum deum uiuunt, quæ spiri
tualiter uiuentes adeptę sanctificant, & deo commen
dant, aut secundum hominem uiuunt, & non sunt ue-
ræ uirtutes, sed uirtutum similitudines, quæ nihil car
naliter uiuentibus prosunt. Quapropter qui religio-
se, qui continẽter, qui sobrie, qui misericorditer uiuit,
si deo cui⁹ munere ut bene uiuat adiuuatur adscribit,
secundum deum spiritualiter uiuit. Si uero omnia quę
bene facit suis uiribus adscribat, quasi etiam sine adiu Al.agit.
torio dei ad bene agendum sibi sufficiat, secundum ho
minem carnaliter uiuit, & ideo aut bene non uiuit,
aut nihil ei proderit quicquid boni propter homines
facit: quia humanis laudibus delectatus, hic iam tem- Secundũ
poralem mercedem recipit suorum operum, quę tem hominẽ
poraliter fecit. Igitur ille secundum hominem uiuit, uiuere.
qui secundum seipsum uiuit: quia & ipse homo est, &
secundum seipsum uiuit, qui si potuerit esse cum qui-

bus uult, pergit quo uult, dormit quando & quamdiu uult, loquitur quæ uult, & ubi uult, manducat & bibit quando & quod uult, & quantum uult ridet, ac lætatur inter quos uult, postremo quicquid naribus suaue est, quicquid tactui blandũ, quicquid oculis delectabile, quicquid cæteris sensibus carnis suæ iucundum, exercet ac sequitur qualiter uult, qui omnia licita uel illicita carnaliter uult. Qui autem secundum deum uiuit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod ædificat spiritualiter facit, & omnia desideria carnis spiritualis desiderij delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit, & quicquid cupit aut agit, non uult ex sua, sed ex dei sui uoluntate procedere, cui placere totis uiribus concupiscit. Itaq; si utcunq; iam claruit, q̊d uirtutes ueras non uideantur habere qui simulant, & illi simulant, qui non ex fide, aut non propter deum, sed propter homines tantum boni aliquid operãtur, eleemosynis ac ieiunijs uel abstinentiæ cęterisq; bonis operibus seruiendo, non ut boni fiant, sed ut se bonos hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam popularẽ, uideamus nunc quibus præcedentibus causis & subsequentibus incrementis nasci soleant uitia uel augeri, & quibus adiuuante deo remedijs possint uelut quibusdam medicamentis imminui uel sanari.

Secundũ deum uiuere.

QVOD SVPERBIA SIT malorum omnium causa.

CAP. II.

Est quidem hoc capitulum ualde perplexum, sed si oretis illum qui dixit, non uos estis qui loquimini,

mini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Mat. 10
Et alibi. Dilata os tuum, & ego adimplebo illud, ea Psal. 80
quæ mihi ut homini impossibilia sunt, illuminante
domino uel docente possibilia fiunt. Consideremus
ergo quæ causæ præcedant, quæ uitia subsequantur.
Quod ut credibilius audiatur, non hoc à me pruden- Al. uidea
tia uestra perquirat, sed uobis & mihi uel omnibus tur.
scriptura diuina consulta respondeat, quę uelut si iam
quæreremus ab ea immobilem sententiam, protulit Eccl. 10.
dicens. Initium omnis peccati superbia. Quid potest
apertius, quid probabilius dici? Initium, inquit, non ali
cuius, sed omnis peccati superbia, ut euidenter osten-
deret, quod ipsa sit peccatorum omnium causa, quo-
niam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum Omne
peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa. Si- peccatum
quidem nihil aliud omne peccatum, nisi dei contem- dei contẽ
ptus est, quo eius præcepta calcantur. Quem contem- ptus est.
ptum dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi su- Esa. 14.
perbia, quæ etiam in ipso diabolo ut diabolus ex an- Luc. 10.
gelo fieret, æternæ perditionis extitit causa. Denique
& ipse sciens se per superbiam de cœlestibus corruis-
se, & in hunc caliginosi aëris carcerem trusum, homi
ni subuertendo quem deus fecerat sine ullo peccato, Gen. 3.
uitium persuasit serpentina calliditate superbiæ, cer-
tus quod recepta superbia, quę est malorum omnium
causa, facile iam peccata omnia, quæ non nisi superbo
concipiũtur animo perpetraret. Hinc est quod idem
primus homo supbi spiritus elatione corruptus, oẽm Al. radica
posteritatẽ suã, q̃ in illo radicabilit fuit necessitati cor liter.
ruptionis ac mortalitatis addixit, ut corruptibilis &
mortalis effect⁹, corruptibiles mortalesq́ꝫ generaret,
atqꝫ ita q̃d in illo egerat puniẽda sup̃bia, in oĩb⁹ ex illo

...fuerit.

natis peccato fieret pœna. Et propterea non eo modo iam possumus peccato resistere, sicut ille potuit, cui nihil aliud fuit non peccare quàm nolle. Nobis autem irreprehensibiliter uiuere uelle non sufficit, nisi ipsum uelle nostrum quod languida possibilitate deficit, diuina uirtus adiuuerit, quia illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc sana natura, nos iam impedit uitiata, & illum peccare fecit sola peccandi uoluptas, nos etiam cogit plærumque peccati iam facta necessitas. Propter quod deo clamamus & dicimus, de necessitatibus meis libera me. Ac sic ideo fortassis dicit diuina scriptura, initium omnis peccati superbia, quod ipsa præcessit in diabolo, & per ipsam subuersus est homo, de quo dicit Apostolus. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Cæterum nos qui primo homine peccante peccauimus, non in nostra superata iam uita, sed in eius natura, in qua fuimus, & corruptionem uelut de radice superbiæ morbo conceptam contraximus, & in ipsa corruptione nostra omnes peccatorum causas habemus, qui non corruptibiles efficimur, quia peccamus, sed quia corruptibiles sumus, omne peccatum ex ipsa corruptione nostra committimus. Primus autem homo non ideo peccauit, quia corruptibilis fuit, sed cum incorruptus esset, se ipsum peccando corrupit, & corruptionem suam in nos propagatione transiecit, & idcirco ibi nobis auferenda est tota mortalitas omnisque corruptio, quæ facta est ex peccato, ubi erimus sine ullo peccato, hic uero ubi non iam sanata est, sed adhuc sanatur per gratiam nostra natura, quæ infirmata est per culpam. Pijs

Al. impudet.
Al. uoluntas.
Psal. 24.
Eccl. 10.
Rom. 5.
Primo homine peccante, oẽs peccauimus.
Al. corrũptam.
Al. peccauimus.

cona-

conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia uitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita, penaliter & inserta, quæ peccato facta est, & peccatum fuicerit facit. Quam licet quamdiu mortaliter uiuimus habeamus, non eam tamen studio nostræ uoluntatis dum adiuiuimus uincimus, quoniam non eam in nobis sentiendo, sed ei consentiendo peccamus, nec ipsa statim ut nos pulsauerit uincit, sed si mẽtem nostram (quod absit) de sublimitate propositi sui in consensum peccati deiecerit.

QVOD SVPERBIA EX QVA PROcedunt omnia mala humilitatis uirtute uincatur, & omnia uicia tunc fugata depereant, si uirtutibus cedant.

CAP. III.

PRoinde si superbia est initiumomnis peccati, & concupiscentia pœna peccati, non potest aliter uinci concupiscentia uiciosa, nisi prius caueatur humilitatis uirtute superbia, quæ eius est inimica. Superba uoluntas facit dei præcepta contemni, humilitas custodiri. Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas homines sanctis angelis similes reddit. Illa rebelles diabolo subditos facit, hæc humiles Christo coniungit. Superbi cupiunt in se quod non faciunt prædicari; humiles refugiunt, quicquid boni operãtur agnosci. Illi uicia sua à se alienando peruersitatem suæ uoluntatis excusant, & bona sua suis uiribus deputando semetipsos turpiter iactant: isti si qua peccata commiserint, uoluntarie confitendo, semetipsos accusant, & Al. uitam suam.

omnia bona sua diuino muneri deputando deum iugiter laudant. Quapropter si uirtus non habitat in animo uicioso, superbia humilitatis cedat imperio, quia non potest mens regnum habere uirtutum, nisi prius iugum excusserit uiciorum. Tunc enim uicia fideliter expulsa discedunt, si uirtutibus cedant. Alioquin uel subsidunt ad tempus eiecta uel redeunt, nisi uirtutes in locis uiciorum, quæ fuerint depulsa successerint. Quapropter pietas in nobis crudelitati resistat, iram pacientia fundata coerceat, pudicitia libidinem uincat, animositatem tranquillitas tollat, uerbositatem taciturnitas moderata compescat, delectatio spiritualis desideria carnalia imminuat, abstinentiæ rigor aculeos carnis obtundat, curiositati studium spirituale succedat, sobrietati cedat ebrietas, mansuetudini succumbat immanitas, dominetur leuitati maturitas, dei & proximi charitate crescente consumatur tota mundi cupiditas, excludat parcitas uera luxuriam, castiget industriæ uirtus ignauiam, reprimat humilitas profunda iactantiam, pellat simplicitas pura uecordiam, non impediat uarietas fucata constantiam, emendati mores augeant disciplinam, frangat clementia religiosa seuitiam, & funditus eradicet bonitas adquisita malitiam, ut expulsione uiciorum celebretur introductio gloriosa uirtutum. Sed de uirtutibus in capitulo sequenti uidebimus, nunc de uicijs ut cœpimus prosequamur.

Regnum uirtutum haberi nō potest, nisi excusso uiciorum iugo.

DE CVPIDITATE, QVAE ITA mixta est superbiæ, ut nihil peccati fiat, quod non ex utraque procedat.

CAP. IIII.

Sicut

SIcut utcunque iam patuit, qualiter intelligatur, quod scriptura dicit, initium omis peccati superbia, hoc etiam uideamus quod sanctus Apostolus dicit, radix omnium malorum est cupiditas, cum spiritus sanctus qui locutus est per prophetam, per Apostolum quoque locutus sit, nec sibi possit esse diuersus locutionis modus, sollicite considerare debemus, quare ille initium peccati superbiam, hic radicẽ omnium malorum cupiditatem nominari uoluerit. An forte sermonem propheticum Paulus Apostolus ut solet exposuit, quandoquidem siue initium omnis peccati, siue radicem omnium malorum dicas, unum idemq; significes. Porro cupiditas atque superbia in tantum est unum malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia cupidus possit inueniri. Siquidem & diabolus in quo tenet superbia principatum propriç uoluntatis ac perditionis humanæ cupidus fuit, & ipse homo per appetitum arboris interdictæ ac diuinæ similitudinis affectationem, morbosæ affectum cupiditatis ostendit. De superbia namq; nascuntur hæreses, scismata, detractiones, inuidia, uerbositas, iactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio, præsumptio, uanitas, inquietudo, mendaciũ, periurium, & cçtera eiusmodi. Sed hçc quis dubitet ex cupiditate ꝙq; ꝓcedere, cum oẽs qui fuerint illis oĩbus morbis, quos nominaui, corrupti, habeant et cupidi? Itẽ cũ gulosos, intemperantes, ebriosos, auidos, rapaces, fornicarios, adulteros, stupratores, incestos, flagitiosos, cupiditas reddat, qñ possunt sine superbia tales fieri? Sine qua omnino nõ possunt dei prçcepta contemni, quibus prohibentur illa omnia mala, quæ superius comprehendi. Ideoq; si uolumus consummare nostri certaminis

Eccl. 10.

1. Tim. 6

Al. potestatis.

Superbiæ fructus.

Cupiditas & superbia omnis mali initium

cursum, caueamus imprimis cupiditatē atque superbiam, non duo mala, sed unum, à quo trahunt omnes mali actus initium. Nam sine superbia quæ possunt saltē inchoari peccata, cum dicatur initium omnis peccati superbia? Aut sine cupiditate, quæ est malorum omnium radix, quæ possunt fieri mala, cum sine radice omnia aut nulla deputentur aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi malę delectationi consentiā, quod cupiditatis est proprium, & dei præcepta contemnam, quod est superbiæ malum, quomodo non ex cupiditate, quæ est radix malorum omnium, & ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

al. meæ.

QVO ANIMI TORMENTO inuidos affligat inuidia. CAP. V.

INuidus certe, qui alienum bonum, suum facit inuidendo supplicium, nulla uidetur ad inuidendū concupiscentia prouocari, sed tantum superbiæ morbo uexari. Sed si animi eius pestem qua præcipitatur inuentus subtiliter altéque rimemini, inuenietis eum & perditionis eius cupidum, cuius cupit interitum, & superbiæ malo teneri, quo sibi iugiter ingemiscit meliorem cui inuidet anteferri. Quis facile potest quale sit hoc malum uerbis exprimere, quo inuidus odio hominis persequitur diuinum munus in homine, quum potius amari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos inuidus habet pœna iusta tortores, quantos inuidiosus habuerit laudatores Siquidem inuidiosum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati, nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cuius est uulnus occultum.

IN

IN QVAE ET QVANTA MALA, concupiscẽtia carnis erumpat, si eis mens corrupta consentiat.

CAP. VI.

QVid concupiscentię carnis addictus? Nunquid non uidetur nihil habere superbiæ, cum præsertim passio ipsa eum uideatur humiliare luxurię? Et tamen nisi prius deo rebellis existeret, cuius salubre præceptum de pudicitia conseruanda, superbi spiritus præsumptione contemnit, nulla eum lasciuiæ cupiditas prouocaret. In animo eius diu disceptant dei contemptus & metus. Sed aut contemptus dei præponderat, & superbus animus recepta cupiditate pudicitiam perdit, aut obtinet metus, & animus deo subiectus cupiditati simul ac superbiæ contradicit. Plerosq; enim gula et abundantia uini turpiter in luxuriam soluunt, alios in iniuriam pudicitiæ sordidæ cogitationes incendunt, nonnullos de proposito castitatis occasiones oblatæ deijciunt, quosdam sub impudicitiæ iugum exempla perdite uiuentium mittunt. Sunt alij, quorum uitam lingua turpis inflammat, aut turpem conscientiam manifestat. Qui prius inuerecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt, ac deinde paulatim morbo crescente ab honestate deficiunt, attritoq; pudore uiles effecti, dum indecenter elegantes uideri uolunt, passim iam turpibus uerbis impudenter insaniunt. Hoc enim loquuntur quiq;, quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus uoluunt. Cogitatio quippe est, quę mentem, sicut turpis inquinat, ita si fuerit honesta purificat.

Cogitatio turpis inquinat, honesta purificat.

Aut si nõ ex cogitatione facies mentis existit, sed qualitas cogitationis ex mẽte, non sordidæ cogitationes mentem sordidam reddunt, sed ex mente sordida sordidæ cogitationes existunt. Quod si ita est, pulchrorum corporum formæ per oculos irrepentes, animũ non mouent incorruptum, & quando corruptibiliter mouent, non corrumpunt sanum, sed ostendunt propria uoluntate corruptum. Turpia quoq; uerba per aures ingressa quid præualent, si non fuerint arbitrio mentis admissa? Quando autem præualent, nõ ipsam corrumpunt mentem, sed iam corruptam sponte reperiunt. Auribus enim castis obscœni sermones cũ sono deficiunt, nec secretum pudici cordis irrumpũt. Quid palpamen tenerum quod menti uiciosæ blanditur? Nunquid potest ad animũ admitti per tactum, si animus incorruptum seruet professionis suæ propositũ? Ac sic prius integritatem sui animus sponte uiciatus amittit, & sic delectationem tactus admittit. De cibi uel potus cauenda delectatione, iam dixi sufficienter ut arbitror in 2. uolumine, ubi quanta potui breuitate pfectionem spiritualis abstinentiæ cõmendaui. Sed et hic hoc breuiter dico, quod per os carnis non irrumpit delectatio gustus ad mentem, nec erumpit sermo turpis ex mente, nisi se uoluntarie mens ante corrumpat, quam recipiat aliquid unde corrũpatur aut proferat. Ceterum si animus sub deo suo firmus ipsius dei sui munere perseueret, nec quibuslibet delitijs lenocinantibus cedit, nec profert aliquid turpe nec recipit. Iam de odorib⁹ pauca perstringã, ut totã tentationẽ quinq; partiti sensus uerbis includã. Quos odores per aditum narium aut affert mens ęgra, aut diuinitus adiuta repudiat, quæ si se suo creatori subijciat, atque ei qui

Al. per tractum.

Cap. 22. & 23.

Al. affectat.

quì dignitas eius est & salus amanter inhęreat, nō solum nulla eam uicioꝝ fœditas decolorat, sed nec delectatio ulla carnalis effœminat. Quod si à charitate sui conditoris & illustratoris inflata resiliat, ac se relicto interiore solidoq́ bono, foras in exteriora bona proijciat, quicquid in ea neruoꝝ pōt esse resoluitur, quicqd uirium debilitatur & frangitur, tuncq́ ei actio spiritualis efficitur onerosa, & ipsa in carnalibus fit inquieta, ita ut oīa quæ ꝑ sensum corporis sentit nō uiciāda, sed iam uiciata turpiter cōcupiscat, & quando corpus nihil sensibilium sentit, ipsa sibi delectabiliter recordando, sensarum rerum imagines repræsentat. Apud se intus audit sine uoce quicquid cantilenæ suauis ac iocationis obscœnæ per fluxuosos aurium meatus influxit, ibi ei odor malesuauis corruptibiliter fragrat, qui per patulas narium cauernas irrepsit. Ibi eam sapor oblectat, quem ad se per illecebram uoluptuosi gustus admisit. Ibi persentit nescio quid molliter blādum, quod ei exterior tactus impressit. Ibi colores uarios & illicitas formas concupiscibiliter uidet, quas ei oculorum curiositas nunciauit. Quæ mens ita absentibus plærumq́ imaginibus corporum delectatur affecta carnaliter, ut nimia sordidæ cogitationis intentione defixa, non sibi imagines corporum uideatur amplexari, sed corpora. Hinc est quod ille corporis fluxus, qui fit in dormiētibus sine culpa, interdum uigilantibus contingat ex culpa. Aliud est enim quod in dormiente fit, aliud quod uigilans facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur, hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis uigilantibus hūc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidū cōmouerit appetitū. Hi sunt, quibus usui est fœminarum descriptio. Illa rudis est,

Al. illices.

Al. affectata.

Al. nunc.

illa dicacula, illa deformis, illa formosa, alterius placet ornatus, gestus alterius, illius etiam laudatur sine forma festiuitas, illius sola formositas. Inde transitur ad mores, & aliam talibus commendat taciturnitas moderata, aliam turpem uideri facit libertas incondita. Hæc & his similia colloquentes, suggerunt concupiscentiæ suæ materiam. Hæc tamen ideo concupiscunt, quia ista aut loquũtur libenter, aut audiunt. Qui nisi concupiscentiæ morbo corrupti essent, nunquam uel loquerentur talia, uel audirent: quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendunt. Ac ne me ista ueraciter arguentem quisquam iudicet arguendum, nouerit propter hoc forte ab antiquis fuisse decretũ, nec qui adolescentium legerent Geneseos librum, ac pariter Ezechielis prophetæ, uel canticum canticorum, & cætera talia in quibus generationes & actus & nomina quarundam scripta sunt mulierum. Quas licet secundum historiam fuisse credamus, earum tamẽ nominibus uirtutes figuratas accipimus, quoniam sicut illæ non solum uiris suis per sanctos mores, sed etiam extraneis sine dispendio sui pudoris ob nimiam pulchritudinem placuerunt, ita sanctæ uirtutes & suos mirabiles omnibus reddunt, & extraneos quadam admiratione sui perstringunt. Hinc est quod & ipsi qui uiciose uiuunt, uirtutes uicijs anteponunt: quia aliud est quod faciunt morbo, aliud quod coguntur placere iudicio. Sed ne forte hæc spiritualia secundũ carnem adhuc carnales acciperent, nec uirtutes cogitarent, quas mulieres illæ significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent, consulto iuniores legere sunt illa prohibiti, quæ sicut spiritualiter accepta uiuificant, ita carnaliter intelligẽtibus ipsa carnalis intelligẽtia, occa-

Al. nec.

Lege Hieronymũ in primũ Commẽtariorum Ezechielis proœmium, & eundem ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris.

Al. pbare

occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat. Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarũ desideria uulnerato gestat in corde, aut turpitudinem quam exercere uerecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, sed diuino.

QVOD ETIAM HI QVOS AB impudicitia quælibet necessitas uetat, si uiuere pudice consuescant, ad amorem castitatis ascendant. CAP. VII.

Al. impudentia.

TAles pudicos aut temperantia corporum facit, aut timor supplicij temporalis ab impudicitiæ actione suspendit, aut occasio denegata destituit. Sed licet uoluntate sit impudicus, qui necessitate pudicus est, tamen si et ille temperati corporis de beneficio naturæ suæ deo auctori omnium naturarum gratias agit, & ille quem timor in bono pudicitiæ tenet, atq; his quibus facultatem mœchandi negat occasio, uiuere pudice consuescant, in uirtutem plærumque de necessitate proficiunt, & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente pudici ueraciter fiunt, ut iam non sermone, sed uirtute sordes impudicitiæ detestantes, non timore pœnæ carnalibus incentiuis obsistant, q̃d est insipientium proprium, sed execratione peccati refrenent inquetos carnis affectus, quod est castitatis consummatæ fastigium, non quod animus nunquam desinat in hac carne cum uicijs habere conflictum, sed quod eum alat ac prouehat, & quantum fieri potest in præsenti uita perficias ipsa numerositas trium

Semper animo cũ uitijs conflictus est

pho-

phorum, ſi modo non ſe in corpus ſenſibilium captu
delectatione deiicîat, ſed execratione delectationum
ſublimiter roboratus, ſupra corpus ſe corporalium u
ctor attollat, ac deo ſuo ſub q̃ cũ uiuentẽ deſideria r
pudiata non uincunt, in æternũ glorificand⁹ adhęreat.

QVIBVS INDICIIS POSSIT oſtendi ſuperbia, quę uel in perditis aperta eſt, uel in fictis occulta.

CAP. VIII.

IAm nunc uideamus, quibus indicijs poſſit ſuperbi deprehẽdi, ut ſicut in ſuperioribus claruit, nullu peccatum ſine illa poſſe committi, ita hic ſigna ei eluceant, quibus cauenda poſſit oſtendi. Omitto illo quos etiam ipſe habitus & inceſſus ſuperbos oſtendi quorum erecta ceruix, facies torua, truces oculi, & ſ mo terribilis, nudam ſuperbiam clamant. Qui libid ne dominandi poſſeſſi, quos poſſunt, uiolenter ſibi ſu ijciunt, humana iura diuinaq; confundunt, honori intumeſcunt. Paſſim cuncta diripiunt, ſuis criminib gaudent, & ſe ipſos ſuperbiæ corrupti morbo non piunt. Hos ergo prætereo, in quibus ſuperbia tã ap te regnat, ut nec dignetur ſe occultare nec ual at. Illos tantum dolendos oſtendo, atque eoru exempla cauẽda denũcio, quos iã conuerſos & aliq tulum proficientes ſuperbia occulte captiuat, quos profundũ malorũ fraudulenta dominatiõe præcipita & ne inde unq̃ poſſint emergere iugiter calcat. Ip in cordibus talium locum diabolo facit. Ipſa ei adue nienti immunitũ pectus familiariter pandit. Ipſa in troeuntem ſuſcipit. Ipſa captis ius perdite uiuendi c ſtituit. Ipſa omnes uirtutibus exarmat, quos ſemel i uaſerit. Ipſa quicquid in eis remanſerit, quod uiti

Superbi hominis indicia.

Al. bonis omnibus.

poſſi

posset obniti, ne contra se forte conualescat interimit. Inde est quod hi quos superbę mentis tabes puru lenta corruperit, seniorum suorum non obseruant imperata, sed iudicāt de suis negligentijs obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant, de loco superiori disceptant, præferri se etiam melioribns impudenter affectant. Simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitant, suas sentētias procaciter iactant, obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt, natales moribus anteponunt, iuniores suos elati despiciunt, conferri sibi aliquos posse non credunt, æquari senioribus dedignantur, super eos se solo animi tumore constituunt. Non seruant in obsequio reuerentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. Habent in intentione pertinaciam, in corde duriciam, in sermocinatione iactantiam, in humilitate fallaces, in iocatione mordaces, in odio pertinaces, subiectionis impatiētes, potētię sectatores, omnib⁹ bonis odibiles, ad op⁹ bonū pigri, ad communionē feri, ad obsequium duri, ad loquendū q̊d nesciūt prompti, ad supplantandū parati, ad oīa quib⁹ subsistit fraterna societas inhumani, temerarij in audendo, clamosi in loquēdo, fastidiosi in uidēdo, pręsumptuosi ī docēdo, efferati deformit̄ in cachinno, onerosi amicis, infesti quietis, ingrati beneficis, inflati obsequijs, & imperiosi subiectis. Hęc sunt sup̄bię grassantis indicia, quib⁹ deus offendit̄ & recedit, ac sup̄ba corda destituit. His malis diabol⁹ pastus exultat, inuitat̄ ut ueniat, sup̄bas mētes intrat ut teneat, erigit ut elidat, fouet ut p̄dat, qui inexplebilit̄ de ipsa p̄ditorum captiuitate tripudiat, ut captiuos suos q̄s superbiæ uiribus sibi subiecit, iure possideat, et omnia illa mala quę superius cōprehendi

Superbæ mentis tabes.

Al. beneficijs.

per

per illos exerceat. Merito igitur per iuſtum dei iu cium deſeruntur huiuſmodi occulto damnati ſuppl cio, quoniam non uiolenter addicti, ſed ſponte ced ſuperbiæ decipientis imperio, cui utique poſſunt, ſi luerint, repugnare liberę uoluntatis arbitrio liber per donum ſpiritus ſancti & muniti. Veruntamen am tales ſi ad recipiendam ſalutem diuinitus anim ſpem reſipiſcendi concipiant, nec ſe in peccatis ſuis ſperando contemnant, poterunt fructuoſæ ſatisfac nis medicamento ſanari, & ſuperbiam quæ eos à d ſuo tumefactos expulſerat, fundatæ humilitatis aſſu ptione damnantes uinculis æternæ damnationis ſolui. Quod qualiter fieri poſſit, ſupra iam diximu cum de ipſa ſuperbia unde proceſſerit, quo perue rit, & quid egerit tractaremus. Nam quia à diabo proceſſit ad hominem primum peruenit, & in ipſo tum genus humanum uelut in radice fructum na ræ ſponte peccatis uiciatione corrupit.

QVIBVS SIGNIS INVIDORV declaretur inuidia. CAP. IX.

ORdo ipſe exigere uidetur, ut de inuidia qu pauca dicamus, quæ in tantũ de ſuperbiæ fo manauit, ut diabolus qui per ſuperbiam periit, hon
Al. ſtatim. nem primum ſtantem ſuccenſus inuidiæ felle perd rit, non quia à diabolo proceſſit. Proinde quia id diabolus ſuperbiendo inuidus, non inuidendo ſup bus apparuit, non ſuperbia fructus inuidiæ fuit, ſed uidia ex ſuperbiæ radice proceſſit. Vnde quoniã qu
Cap. 5. tum inuidos affligat inuidia, ſuperior iam ſermo didit, non hic de illius ſupplicio dicẽdum uidetur, q

ſu

ſuos animos inuidi laniando conficiunt, ſed hoc tantum donante domino debemus oſtendere, qualiter inuidi ſanĉte uiuentium merita ſua faciant inuidendo peccata, & quãtum in eis bonum corrumpat inuidia, qui quicquid boni fieri uel dici à ſanĉtis audierint, aut omnino non credunt, aut res bene geſtas in malũ male interpretando conuertunt. Omne malum quod de illis mendax fama iaĉtauerit, ſtatim tanquam ſi ipſi uiderint credunt. Feraliter eis qui illud uerum non eſſe probare uoluerint contradicũt. Omnia ſuis æmulis fingunt, eorum profeĉtu deficiunt, odia intra ſe abſcondunt, in ſuos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent. De bonorum malis gaudent, de profeĉtibus lugent, de inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi peĉtoris ſui maliciam timent, ſemper amari, nunquam certi. Amici diaboli, inimici etiam ſui, omnibus odioſi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, utrobiq; diſperſi. Inter amicos diſcordias ſeminant, diſcordantes ad tempus ſi poſſunt in diſſenſione confirmant. Opinionem bonorum mendacijs decolorant, in ſpiritualibus carnalia laudant, ut ſpiritualia bona eis deeſſe perſuadeant. Amicitias ſimulant, ut eos qui ſe incaute ſibi commiſerunt, qua poſſunt arte decipiant. Odiorum ſibi occaſiones prauis ſuſpicionibus coaceruant, dæmones quorum ſeĉtantur faĉta lætificant. Sanĉtos uiros quibus ſunt noti contriſtant, uelut amici in obſequio, hoſtes in animo. Continentes in uerbo, turpes in faĉto. Prodigi ſecretorum, tenaces malorum. Prompti ſuſpicionum malarum, inanes bonorum. Pleni ſordium, prædıti fraudibus. Aduerſarij corde uirtutibus, praui moribus, & inſidioſi cunĉtis ſecum in ſimplicitate uiuentibus. Hęc

Inuidi hominis indicia.

Al. perverſi.

& talia sunt, quæ omnes inuidos bonis uoto siue animo inimicos ostendunt. In hæc mala deueniunt, qui insectando sectandos, & diligendos abominando, generaliter communione bonorum omnium seipsos excludunt, ut illud bonum iure non sit in eis quod persequuntur in bonis. Considerate obsecro qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali, aut quando bene malis usuri sunt, qui male bonis uti non desinunt? Bene malis usi sunt martyres sancti in testimonio saluatoris nostri ueraces, & in castris spiritualibus strennui bellatores, qui tribulationibus & damnis ac uarijs cruciatibus affecti pariter & probati terrenis cœlestia mutauerunt, & de bono usu malorum profecti ad gaudia bonorum perennium peruenerunt. Item bonis utitur inuidus male, quia omnibus bonis quę miser execrat adiunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificē? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salute male utendo facit perniciem? Veruntamen si inuidi quoq; sicut alij peccatores diuinitus inspirati, in spem recuperandę salutis adsurgant, ac sibi quales sint, deo placituri displiceant, si non imitentur Cain, qui postquam dominantis inuidiæ furore cæcatus, germano suo uitam per scelus extorsit, & animam suam fraterni corporis sui morte percussam, supplicio æternæ mortis addixit, consequendæ ueniæ desperatione depressus, ait ad dominum, maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear, hoc est dicere deo, indulgere mihi non peto: quia peccatorum meorum magnitudine indulgentiæ tuæ uincitur magnitudo. Denique nusquam

Inuidorū pœna.

Al. in uiuendo.

Gen. 4.

quam legitur aut pœnituiſſe de ſuo ſcelere, aut ueniam meruiſſe. Si ergo huius abhorrentes exemplum ſe ſibi auferant, & ſe deo ſuo reſtituant, neceſſe in profundum malorum ſalutem deſperando proijciant, quis dubitet, imò quis non firmiter credat eis prioris maliciæ ueniam poſſe conferri, ſi modo inuidiæ uulnere ſanato correcti, amaritudinem ſui pectoris dulcedine fraternę dilectionis expellant, eos ſimpliciter amando quos oderant, ut ad bonum fraternæ communionis ac pacis, bonorum omnium quorum grauabantur meritis, adiuuentur exemplis.

QVANTIS MALIS VANITAS uanos inuoluat. CAP. X.

HIs itaque ſuper inuidia diſputatis, quàm graui malo etiam uanitas uanos inuoluat, conſequenter expediam. Quæ ut facilius uitari poſſit, quid in ſe corruptionis habeat, breuiter declaremus. Eſt enim uanitas inflata quædam circa delectationes uarias animi languentis affectio, potiendi honoris auida ſimul & neſcia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorũ leuium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea capiendis ſeductoria, captis inuicta, ſimulatio quædam uirtutum, anima uiciorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis, periculoſa dubijs, imperioſa ſubiectis, infirma fundatis, facile captiuat, captiuatos oblectat, ambitioſos uexat, anguſtos inflat, inflatos humiliat. Cui ſeruiunt tumidi, ſub qua iacent elati, quam inueniunt perditi,

Vanitatis deſcriptio.

ad quā currunt lapsuri, in qua sibi uidentur stare iam lapsi. Hæc est uanitas, quæ non aliquas uirtutes ut putatur excludat, sed licentia uiciorum cum fuerit à uiciosis recepta corroborat, cæterum mentes uirtutum plenas omnino non penetrat. Vacuos ergo ac nullis fultos uirtutibus tentat, et ipsos fastu ruinosæ ambitionis inflatos, in occulta dedecora quadam publice furendi delectatione præcipitat, sicut uacuam nauim tēpestas in diuersa tumidis fluctibus iactat, & in area frumentis sua grauitate manētibus leues ex ea uentus paleas raptat. Quod si ita est, non uiciosos facit uanitas, sed ostendit, quod illos sui afflatus uento circumfert, ac lubricis circumactos affectibus rotat, qui se ad omnes eius impulsus studio propriæ uoluntatis adcommodant, qui se de operibus quorū sibi conscij non sunt turpiter iactant, qui se ab omnibus prædicari per nefas affectant, qui sanctos uiros sui comparatione depræciant, qui uicio auræ popularis elati, nihil sibi deesse perfectionis simulant. Occurrentium salutationibus gaudent, suis adulatoribus fauent, uoluptatibus parent, omnibus turpibus placent. Gestiunt docere quod nesciunt, credi de se sublimia uolunt, delectabilia grauibus anteponunt, execrantur uerbo quod animo concupiscunt, appellationes uirtutum uicijs suis imponunt. Seipsos fallunt, fauentes sibi decipiunt. In promissione honesta ueloces, in exhibitione mendaces. A bono mutabiles, mali tenaces. In uerbo graues, in animo turpes, ubique fallaces. Læti ad prospera, fragiles ad aduersa. Inflati ad obsequia, anxij ad opprobria. Immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles semper ad honesta. His ergo & similibus delinitos uanitas perimit, nec

Al. existimant.

Al. premit.

cos

eos aut suum morbum sentire, aut ad medicum uenire permittit. Et quid est ad medicum uenire, nisi infirmum suas infirmitates agnoscere, nec placere sibi, sed de factis quæ illi uidebantur esse gloriosa confundi? Quod certe illi faciunt, qui desiderio comparandę opinionis incensi, eis tantum operibus, quibus emitur fauor humanus inseruiunt, & morum bona contemnunt, tantumq́ eos ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur sine labore suscipiant, & libenter exerceant. Inde est quod ieiunare, abstinere, uigilare, ecclesiam frequentare, uel psallere, cum hæc omnia sine labore non fiant, etiam cum delectatione illi faciunt, qui ex his hominibus placere concupiscunt, non quod ista & homines dei non faciant, sed quod illi probentur ea deo magis quàm hominibus exhibere, qui feruentius student etiam moribus sanctis excellere. Cæterum si quisquam foris, ubi potest magnus credi resplendeat, & intus ubi deus solus uidet squaleat, quis non intelligat, quod illæ omnes abstinentiæ ac ieiuniorum uigiliarumq́ continui labores, quos nobis tolerabiles uanitas facit, non sint ornamenta morum, sed uelamina uiciorũ? Quapropter ieiunia, abstinentiæ, uigiliæ, eleemosynæ, & cætera huiusmodi augere debent bonum nostrum, non uelare peccatum, nec pro iustitia, sed cum iustitia deo sunt exhibenda: quoniã quidem multo attentius debent præcepta perficere, qui ea parati sunt perfectionis opere transcendere. Alioquin si inuidi, si superbi, si elati, si cupidi, hæc & his similia mala pectoris sui non reprimant, & tamen suum corpus ieiunijs ac labore abstinentię quamuis continuatæ conficiant,

[T]axat hypocritas.

Opera bona augere debent bonum, non uelare peccatũ.

Al. amore.

Al. laboris abstinentia.

nec illa eos opera impensa uanitati iustificant, & hæc uicia quæ negligunt emendare contemnunt. Itaque licet ubiq; stori hui⁹ singulis quibusq; uicijs absolutis, remedia quoque quibus possint caueri uel emendari subiecerim, hic tamen compendij gratia generalis quædam regula domino illuminante monstranda est, cui regulæ uelociter innitentes, omnibus peccatis obsistunt. Nulla res sic nos ab omni peccato seruat im munes, sicut timor supplicij & amor dei. Sed de charitate quod dominus cuius donum charitas ipsa est donat, postea disseremus.

Al. ueraciter.

DE VTILITATE TIMORIS, ET quod efficaciter peccatis obsistat.

CAP. XI.

NVnc de timore supplicij pauca dicamus ad pœnam, quæ peccanti debetur. Mens antequam peccet si aspiciat cruciatus, ac dolores qui solent sequi peccantem, si timorem dei, desiderijs carnalibus opponat, nihil eam peccati oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio corporalis inclinat. Deniq; non ideo cedimus illecebris ac uoluptatibus nostris: quia repugnare non possumus, sed quia securitatem nobis occultandi criminis ipsi promittimus, & dum credimus colorari uel redimi posse quod facimus spe præsumptę impunitatis illecti, dominationem in nos nostræ uoluptati permittimus. Cæterum si eo tempore quo quis peccare deliberat, sana mente consideret, quæ pœna expectet in suis facinoribus ac flagitijs deprehensos, quod supplicium conuictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perfundat, quantū denique humiliet & execrabiles omnibus reddat, etiam ipsum

Al. peccatis.

ipſum ſordidæ opinionis opprobrium, neſcio an poſſit quibuſlibet uicijs accommodare conſenſum. Quid enim mali operis fieri poteſt, unde nec erubeſcant, etiam illi quos ipſa flagitia ſua delectant? Hinc eſt quod hi qui bona ſua uane ac deformiter iactant, dedecora quibus remordentur & humiliant, occultant, & quicquid eſt unde in peccantem etiam ſine humano iudicio conſcientiæ iudicantis tormenta deſeuiunt, & male ſibi conſciam mentem ipſæ etiam cogitationes ſecreti reatus, cruciatoria recordatione conficiunt. Flagitiorum fœditas cõſenſum uicijs denegare debet.

DE FVTVRO IVDICIO, VEL æternitate ſupplicij, ac de qualitate gehennæ. CAP. XII.

AGe iam cum ad illud ultimum iudicium uenerimus ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum poteſt, nec ad impunitatem promerendam muneris alicuius oblatiõe corrumpi, cum cœperint omnium ſecreta reuelari, & non ſolũ actus ac uerba, ſed etiam ipſæ cogitationes oſtendi, quid faciemus ſub tanti iudicis maieſtate, quid excuſationis obtendere poterimus, qua nos defenſionis arte purgabimus, quæ nobis ſubuentura eſt pœnitentia, quam in hac carne contempſimus? Quæ nos defenſura ſunt opera bona, quæ in hac uita non fecimus? Ad quos apoſtolos aut ad quos alios ſanctos confugituri ſumus, quorum exempla ſimul ac uerba deſpeximus? An forte aliquos ibi fragilitas corporis excuſabit? Sed excuſationi eorum reclamabunt omnium ſanctorum exempla, qui fragilitatem carnis in carne uincentes, quod fecerunt utique fieri poſſe docuerunt, maxime quia nec ipſi peccato ſua uirtute, Sanctorũ exempla in futuro iudicio excuſationi reclamabunt.

sed domini miserantis auxilio restiterunt, qui se & non quęrentibus, ut quęratur atque in eum credatur ostendit, & credētes in se, ne à peccato uincantur inuicta protectione defendit. Quid ergo responsuri sunt, si eis dominus dicat, si potuistis, quare non restitistis desiderijs peccatorum, si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium? Aut uulnerati, quare pœnitendo non adhibuistis uulneri uestro remedium? Nonne ad hæc obmutescentes, & quid excusationis referant non habentes, dicet: ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, ubi uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur? Et quid est obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno ubi deo nemo confitetur actione priuari, sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à domino qui est mentium lumen expelli? Fletus autem & stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, non uidendi sensum habituri sunt, sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summ⁹, pœnalis sensus, torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, ut permanente sentiendi uita, pœna permaneat, & ad dolendum magis quàm ad uiuendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis uiuacibus immortalitas secundæ mortis occidat. Iam uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, sed ad totam reseruantur damnati hominis pœnam, quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, & cōsumentis conscientiæ uermis immortaliter rodit. Proinde

Mat. 22

Esa. 66. & Mar. 9

Manibus & pedi. ligari.

In exteriores tenebras mitti.

Ibidem. Al. referūtur.

inde omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximus consumpti doloribus, aliquando deficiant, sed ut in illis pœnaliter uiuant. Hęc & his similia libenter audire uel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere, cogitare quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori uitæ beatæ, morti uiuere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, ubi sit mors secunda damnatis exilium, uita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles strepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari uermibus, nec finiri. Hęc et multa similia cogitare, nihil est aliud quàm uicijs omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. Sed nos iam si uidetur, ab his terribilibus malis, quę fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus uiciosis delectationibus abducunt, & quæ amatores uoluptatum suarum tunc suæ damnationis experimento probabunt, quãdo iam quod est omni infelicitate miserius se emẽdare non poterunt, ab his inquam terrificis ac tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus proficientium mentes in spem promerendæ beatitudinis assurgunt, abiuratisq; terrenis cœlestia concupiscunt, & qm̃ proficere cupiẽtes à salubri timore incipiunt, & ad charitatẽ proficiẽdo perueniũt, nos quoq; sufficere iudicãtes, q̃d de incipientiũ timore tractauim⁹, etiã de charitate q̃d ipse cuius mun⁹ est, donauerit disputem⁹.

In gehenna occidi.

Al. crepitus.

Al. abdicatisq́.

Proficere cupiẽtes, à salubri amore incipiendũ.

DE LAVDE CHARITATIS.
CAP. XIII.

Quid sit charitas. CHaritas est, ut mihi uidetur, recta uoluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & unita igne quodam sancti spiritus, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamẽti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli uitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quę carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omniũ potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morũ, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, uita uirtutum, uirtus pugnantium, palma uictorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorũ, præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, uictoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, ex qua quicquid est boni operis uiuit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia uincit, propter quam carnalia blandimenta deuotio religiosa contemnit, sine qua nullus deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit. Hæc est charitas uera, germana, perfecta, quam excellentiorem uiam nominat sanctus Apostolus. 1. Cor. 12. Et uere ipsa est uia quæ ducit per se ambulantes ad patriam, quia sicut sine uia peruenit nullus quo tendit, ita sine charitate quæ dicta est uia, non ambulare possunt homines, sed errare.

QVALITER POSSINT EA QVAE de charitate sanctus Apostolus dixit intelligi. CAP. XIIII.

Itaq; iam qualis & quanta sit hæc charitas, non pedum uia, sed morum, Apostolo docente discamus. Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorũ, charitatem autem non habuero, factus sum uelut æramẽtum sonans, aut cymbalum tinniens. Hominum uel angelorum linguis inanem facũdiam quorundam significatam debemus accipere, qui omnia quęcunq; uoluerint accurate quidem atque eloquenter enunciant, sed quamuis ornate copioseq; disserant, tamen si docendi officium uanitate placendi magis q̃ consulendi charitate suscipiant, non ut aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant, nec profectum, sed plausum à suis auditoribus quærant, si totam conscientiæ diligẽtiam transferant, maledicaces ad linguam, & studiosius eloquentiam uelint curare quàm uitam, si supercilio uanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiant laudari q̃ fieri, nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati uenustate solliciti, nunquid non tales merito æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur, qui in modum tinnientis æramenti uel cymbali præclara magis quæq; appetunt sonare quàm facere, nec erubescunt à seipsis aliter uiuendo quàm prædicãt discrepare, qui ut quoquo modo turpitudinẽ suę conuersationis obnubulent, honesta prædicare non cessant, non ut auditores sui eorũ prędicatiõe ꝓficiant, sed ut ipsa uideant curare quę prędicant. Sed uideamus quę his adnectat Apostolus. Si habuero, inqt, ꝓphetiã, & nouerim mysteria oĩa, & oẽm scientiã, & si habuero oẽm fidẽ, ita ut montes transferã, charitatẽ autem non

Al. dicere

1. Cor. 13.

Hominũ uel angelorum linguis loqui quid sit.

Taxat uanæ loquacitatis amatores.

Ibidem.

non habuero, nihil sum. Non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine charitate aliqui possint habere, sed quia nihil prosint habentibus ea, si à charitate defecerint. Ipsa autem & hic necessaria est, ut omnia bona summum bonum charitatis habentibus prosint, & ibi eis etiam perfectior permanebit, cum omnes perseuerantes in se ad uisionem dei perduxerit. Cæterum prophetia & mysteriorum omnium noticia uel scientia, nec non & ipsa fides uel cætera talia, quæ nō perfectioni fidelium, sed fragilitati necessaria iudicantur, in illa sancta perfectione sanctorum, quo in charitate radicati contendunt, peruenientibus necessaria esse non poterunt, cum illis incomparabiliter meliora ac perfectiora successerint: quia nec prophetia ibi opus erit, cùm ad illud quod futurum promittebat, impleta perduxerit, nec scientia quæ uelut lucerna quædam in huius seculi nocte fideles illuminat, cum in illius uitæ die perpetuo sol uiuus iusti effulserit, nec mysteriorū noticia, aut ipsa fide necessaria erit, qñ ad ea quæ per mysterium significabantur & credebantur, ex fide perfectio Christiana peruenerit. Charitas uero hic quidem necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat deo, sed ibi perfecta erit, cum perfectos deo à quo est donata coniunxerit. Adhuc Apostolus laudem diuinæ charitatis amplificans, adiungit & dicit. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Nec immerito. Si enim non quid, sed propter quid faciamus, in illa ultima examinatione quærendum est, eleemosynæ uel traditiones corporis in mortē, quid proderunt non habentibus charitatem?

Ibidem.

Non qd, sed pp̄ter quid facia mus attē dendum.

tem? Ipsa ergo habenda est, ipsa sectanda, sine qua nec eleemosynę, nec occisio corporis, nec illa oñia superi⁹ dicta, uel alia quæuis bona perducunt aliquos ad salutem: quia quælibet actio bona uel passio, nisi ex fide, quę per dilectionem operatur extiterit, nobis prodesse non poterit. Gala 5. Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas omnis inquinamenti mundatio, & bonorum omnium mater affuerit, quoniamquidem si charitas patiens est, benigna est, si non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quęrit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati, si omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, & eos in quibus fuerit, omnibus his bonis quæ habet impertit, quid illis esse potest in hac uita perfectius, qui tantis abundant charitate in se regnante uirtutibus? 1. Cor. 13 Proinde quando uidemus aliquos patientię mole fundatos, inconcussum pectus sæuientibus malis opponere, abundantia sanctæ benignitatis affectos, bonum suum uelle cum omnibus habere commune, non aliquibus ardentis inuidiæ facibus coqui, Al. ardentibus. non agere perperam, sed simplicitatem cum omnibus, quibus debet puritas exhiberi, nullo fastu pernitiosæ uanitatis inflari, nihil eorum quæ sunt aliena crimine cupiditatis ambire: quæ sua sunt, piæ communionis bono non quęrere, nulli malum quibuslibet irritatus iniurijs cogitare, non super alicuius aut sui operis iniquitate, sed de ueritate gaudere, omnes inquietos uel inquietudines fundata animi tranquillitate sufferre, post hanc uitam pœnas diuinitus comminatas credere metuendo, præmia promissa sperare,

re gaudendo, reuelationem filiorum dei desiderare fortiter sustinendo. quando ergo uidemus hæc & talia bona aliquos posse, nouerimus non eos magnitudine uirtutis suæ posse quod uolunt ardenter & faciunt, sed de beneficio illius charitatis quæ non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Rom. 5.

QVANTVM PERFECTIONIS charitas in se fundatis exhibeat.

CAP. XV.

1. Tim. 1

Ergo si charitatem deo exhibeamus, & proximo de corde puro & conscię̃tia bona, & fide nõ ficta, facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, seculi blandimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia sunt humanę fragilitati uel aspera etiã cum delectatione perficimus, si tamen deum charitate perfecta quæ nobis ex illo est, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis uiribus diligamus. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit deum. Quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis unde peccati desiderijs seruiamus. Et quid est diligere deum, nisi illi occupare animum, concipere fruendæ uisionis eius affectum, peccati odium, mũdi fastidium, diligere etiam proximum, quem in se censuit diligendum, in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum? Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum qui contemnendus est diligunt, aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos non sicut seipsos, aut deũ plus

Al. dilectione.
Deut. 6.
Mat. 22.

Deum diligere qd sit.

quàm

quàm seipsos forte non diligunt. Sed de mundo quod diligi omnino non debeat, ipsius dei nostri per sanctum Iohannem Apostolum uox est dicentis. Nolite diligere mundum. Corpus autem nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis diligendum, ut saluti eius ac fragilitati naturaliter consulamus, & agamus quatenus spiritui ordinate subiectum, ad æternam salutem accepta immortalitate & incorruptione perueniat, non suis uoluptatibus diffluendo, animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, & totam dignitatem suæ delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter sperata beneficia uel accepta, non propter affinitates uel consanguinitates, sed propter hoc tantum quod sunt naturæ nostræ participes diligamus, quia non eos sicut nosipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus. Neque enim ideo proximum tanquam seipsum diligit, quisque ideo diligit, quia sibi frater aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est. Carnaliter quippe amat, qui taliter amat, quoniam non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis iungit, sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ sicut dixi participes. Nam si propinquos nostros quamuis incompositos, turpes, ac male moratos plusquam quoslibet sanctos, quos à nobis secundum sanguinem uocamus extraneos diligamus, non solum carnaliter diligimus, sed etiam grauiter in tali eorum dilectione peccamus. Proinde secundum nos proximos omnes homines diligimus, quando ad mores bonos & ad æternam uitam consequendam, sicut nobis saluti eorum consulimus, quando nos in eorum

1. Ioan. 2.

Corpus nostrum quomodo diligendum.

Proximi quomodo diligendi.

peccatis ac periculis cogitamus, & sicut nobis subueniri optamus, ita eis pro uiribus subuenimus, aut si facultas defuerit uoluntatē subueniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonū quod tibi conferri uis, uelis & proximo, & malum quod tibi nolis accidere, nolis & proximo. Illi uero plus quam se, diligunt deum, qui pro eius amore suæ ad tempus saluti non parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ suæ extorres fieri, parentibus & uxoribus ac filijs suis renunciare parati sunt, & ut totum dicam, ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis sui uita magis quàm à deo uita uitæ suæ discedere. Iste igitur nobis dilectionis ordo seruandus est, iuxta illud quod dicit spiritus sanctus: ordinate in me charitatem, ut sicut ordinata charitas poscit, deum principaliter diligamus, & propter ipsum in ipso ea quæ diligenda sunt, tantum quantum ipse præcipit diligamus. Ipse enim præcipit ut corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, & ipsum plus diligere quàm nos, debemus, ita sane, ut eis quos nobis coniunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat, & uita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus nostros esse credamus, & de aliorum peccatis tanquam de nostris misericorditer lugeamus. Sic ergo possunt in hac uita illi esse perfecti, qui perfecte diligunt deum. Et illi perfecte deum diligunt, qui uolendo quod uult deus, & nolendo quod non uult, nec ullis peccatis quibus offenditur adquiescunt, & semper se ad uirtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas & habendas extendunt. Hi sunt qui omnia bona quæ

Ordo dilectionis seruādus.
Cantic. 2.
Leuit. 19.
Mat. 22

implere potuerunt ab illo se adiutos ut possint ueraciter credunt, quicquid mali commiserint uicio suę uoluntatis ascribũt, quicquid boni non potuerint implere, ab illo, ut possint iugiter petunt, cum potuerint, illi gratias agunt. Bona eius quæ fuerint consecuti, etiã alijs conferri socialiter uolunt, & usque in suos inimicos dilectionis suę latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse quod ipsi sunt. Satis de uicijs eorumq; remedijs disputatum, nunc iam qualiter unaquæque uirtus possit adquiri, breuiter differamus.

DE QVALITATE VIRTVtis, & qualiter sibi consentientes informet. CAP. XVI.

OMnis sancta uirtus res est diuina, incorporea prorsus atque mundissima, quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat, cuius participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduersa. Hanc non habet nisi deus, & is cui dederit deus. Quæ in animo habitat, sed animum corpusq; sanctificat, ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit, nisi propria uoluntate deceptus. Nemo eam sibi conferre potest, cum possit auferre. alteri autem nec conferre præualet, nec auferre. Itaque cum talis ac tanta uirtus cuilibet inter uoluptates suas adhuc marcenti refulserit, atque ei ad se concupiscendam desiderium salubre cõmouerit, protinus in animo eius duarum delectationum contrariarum rixa consurgit, & mentem uoluntas aduersum se ancipiti delectatione diuisa, in diuersa ducit ac reducit, modo reprehendendo quod elegerat, mo-

Al. auersa

Al. marcescenti.

dò quod reprehenderat eligẽdo, atq; ita in alterutrũ la tus se cogitationum uarietate uertantem, ipsa uelut uirtutis ac uitij tepida medietas uexat ac lacerat, quoniam quidem quemlibet hominẽ, donec se in eo quod elegerit certa diffinitione confirmet, quamdiu modo non uult quod uolebat, modo uelle incipit quod nolebat, uelut in quodam deliberationis incertæ biuio constitutum, discerpit ipsa diuersitas uoluntatũ. Hinc eum uirtus admonet suæ salutis & uocat, inde consuetudo uiciosa discedere à se uolentem remoratur & reuocat, & paulisper à se auerso nec ad uirtutem plene conuerso, usitatæ uoluptatis admonitione blanditur, & omnes illecebras quibus olim perdite fruebatur ostendit. Turpia quoq; desideria quibus uincatur immittit, ac iam pene fastidienti blandum nescio quid molliter insusurrat, & supplicat ne præponat mollibus dura, lætis tristia, certis dubia, præsenti uoluptati futura, cogitet quàm pœnale sit atque difficile dulcibus carere delicijs, illecebris renunciare carnalibus, abstinentiæ iugis grauari laboribus, ieiuniorum ac uigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra diabolum decipiendi peritum resistendo arma corripere, insidias eius ac fraudes uigilantis animi cautione uitare: quàm deinde miserum sit enormitate tantæ asperitatis euictum, ac diabolica fraude deceptum, ad repudiata redire, uoluptatibus quas abiecerat frui, & omnibus quæ incaute laboriosum percipiendo propositum contempserat delectari. His & talibus uiciosa consuetudo, dubium sanctæ definitionis affligit. Virtus ecõtra quæ continentia nominatur, morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras castasq; delicias,

Viciosa consuetudo omnes illecebras ostendit. al uinciat.

Al. suscipiendo.

delicias, quibus fruuntur omnes sui amatores inuitat, offert nudo iusticiæ uestimentum, illuminato sui apparatus demonstrat ornatum, diffidenti de se perfectionis suæ promittit auxilium, hortatur & prouocat, ut definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat, perseueraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibilitate, sed domini miseratione confidat, nec suis uiribus, sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes uictricia arma corripiat, cogitet quanti & quantæ potuerunt & possunt, quod se posse desperat, unde illi uel illæ potuerunt, inde se posse firmiter credat, certa spe spiritualia carnalibus, & terrenis cœlestia, & futura præsentibus anteponat.

Nemo suis uirib⁹ sed dei miseratione confidat.

QVIBVS GRADIBVS CONuersi in culmen perfectionis ascendant.

CAP. XVII.

CVm uero quis persuasione ac pulchritudine uirtutis illectus aliquantulum à priore conuersatione recesserit, statim ei alia tentatio, contra quam luctetur occurrit. Nam quem carnalis uoluptas superata dimiserit, mundi uanitas occupabit, sicut nobis illi exemplo sunt, qui delectationem sibi satiuæ libidinis interdicunt, & uentosæ uanitatis licentiam suæ uoluptati permittunt, turpitudini concubitus contradicunt, & ambitioni succumbunt, utuntur delicijs ac uestibus accuratis ad luxuriam, comatulis pueris ac

Vna recedente tentatione, occurrit alia.

 poten-

potentibus equis ad pompam, accipitribus ac sagittis canibus ad uenatum, uenationibus crebris ad luxum, & ad ambitiosi apparatus iactantiam necessarium mentiuntur ornatum, iam ridere effuse, uocem procacibus cachinnis attollere, turpes iocos libenter audire, aliorum pœnam, suam facere fatigando lætitiam, urbanos quosque quamuis turpes explere delicijs, seruos necessarijs indigentes abijcere, domos amplissimas & ornatas extruere, facultates suas indesinenter augere, alienis peruadendis si possibilitas patiatur inhiare, non rem cupiditatis, sed nescio cuius utilitatis existimant, ut illa quæ dixi uel alia multa similia, non solum libenter exerceant, sed etiam hinc eos obiurgantes irrideant, ineptire credentes illos qui licita & usitata nobilibus crimine ambitionis infamēt. Sed qui hoc quoque malum diuinitus adiutus euicerit, & spiritualis continētię uiribus fultus omnia, quibus potest à perfectione retardari calcauerit, mentem suam sanctæ uirtuti studio bonæ uoluntatis inclinauerit, tunc delectabiliter ac deuote nutus omnes reginæ uirtutis in se regnantis obseruat, ac sic cum deo suo unus spiritus factus, nihil aliud agit semper aut cogitat, nisi unde clarior ac nobilior fiat, & oblectationes uitiorum omnium puris delectationibus uincat.

QVAE SIT QVATERNARII NVmeri credenda perfectio, & quod quatuor uirtutes quæ dictę sunt principales, ex fide uiuētes à deo collatæ iustificent.

CAP. XVIII.

Videa-

Videamus nunc an uera sit philosophorum illa sententia, qua quatuor uirtutes uelut quosdam uirtutum omnium fontes, uicia quoque quatuor uelut quasdam origines omnium malorum definiunt. Principales quatuor esse uirtutes non solum philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Sed quare quatuor uel quę sint opera singularum, hoc domino illuminante debemus breuiter demonstrare. Quaternarium numerum perfectioni sacratum, pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis oriente & occidente, aquilone & meridie, quatuor determinari partibus siue angulis inuenitur, & ipse Adam qui est humani generis pater, uel generale nomen, quod dicitur homo quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis extructum, quaternarij numeri in se continet sacramentum. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones, quibus uel ad bona utimur, uel ad mala, & antiqui subtiliter inuenerunt, & eorum inuēta probantes posteri susceperunt. Sed & quatuor flumina quæ de paradisi fonte procedunt, uel quatuor euangelia, diuini cursus, rotæ quatuor, & animalia, alę eorum quatuor ac facies, dignitatem numeri hui⁹ abunde cōmendāt, & ideo uirtutes istę quę tantū cōtinent perfectionis in numero, sollicite considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo Christiano, & q̄ nihil perfectionis usquam sit, quod in istis uirtutibus non sit. Nam si temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, iusticia iustum, fortitudo fortē, eo qui temperāter & iuste & prudenter agit ac fortiter, nescio quid possit deesse perfectionis. Itaque difficile quidem est nobis nomina uirtutum, quæ ex illis quatuor, quas principales diximus oriuntur

Quaternarius numer⁹ pfectioni cōsecratus.

Gene. 2.

Ezech. 1

ostendere, sed cum proprietates & actus earum cœperint aperiri, ex ipsis affectionibus singularum quę uirtutes ex quibus existant forsitan apparebit. Veruntamen hoc imprimis nosse et tenere debemus, quod istę quatuor uirtutes, uel omnes quæ ex illis existunt dona sint dei, & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui deus qui est omniũ uirtutum proprietas & origo contulerit: quoniam quicunq;, quocunq; tempore, in quacunq; gente in deum credentes ex fide uixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri utiq; potuerunt. Qui autem nescientes deum uel etiam blasphemantes sine fide uixerunt, nihil earum uirtutum à deo accipere, uel habere potuisse credendi sunt.

DE TEMPERANTIAE QVALItate, uel opere.

CAP. XIX.

SEd iam uideamus, quę sit proprietas singularum. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, uerecundum. Hæc uirtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus tẽperat, desideria sancta multiplicat, uiciosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ uoluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni uiciorum tempestate defendit. Temperantia intemperantiam nostram ad honestum modum redigit in cibo ipso uel potu, ut cõtenti simus appositis, ne poscamus impudenter, quod

Temperãtię ꝓprietates.

Al. i. ꝓprudenter.

aut

aut ille qui poscitur non forte habeat, aut alios quod desiderio nostro placet offendat, aut gulæ nostræ intemperans appetitus appareat, nec iudicemus eos qui uolunt cibis quos ipsi percipimus abstinere, nec eis uerecundiã faciamus, qui ea quibus ipsi abstinemus forte percipiunt, & deo gratias agunt, certi quod satis miserum sit aliquos de cibi uel potus perceptiõe damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam sanctitatem. Temperantiæ est quod reuerentiam senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quod præstamus loquenti seniori silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium, quod non adtollimus immoderatum in collocutionibus sonum, quod risui prorumpere non permittimus in cachinnũ, quod nulli detrahimus, nec detrahentes æquanimiter sustinemus, sciẽtes, quod tam illi qui detrahunt, quàm illi qui detrahentibus adquiescunt, uanitatis morbo corrupti sunt. Qui ad hoc alios uiles uideri uolunt, ut se commendent eorum comparatione quos carpunt, & uideantur ea uicia non habere, quæ maliciose in aliis reprehendunt, quod malum temperantia tollit, cui qui seruire uoluerit, non quod reprehendat in fratribus, sed unde deum laudet adtendit, ac per hoc ipsius temperantiæ est, quod non solum temperantes in omnium membrorum officijs sumus, sed etiam quod omnia libenter, quæ nos moderatos ac sobrios faciunt obseruamus. Sed de temperantia hæc dicta sufficiant, ut & de fortitudine disseramus.

QVALES ESSE DEBEANT, QVOS animi fortitudo nobilitat. CAP. XX.

Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestijs inconcussa permaneat, sed etiam nullis uoluptatum illecebris resoluta succumbat. Alioquin si impetus quidem malorum sæuientium frangat, si calamitatibus quibuslibet impactis obsistat, si inter iniuriarum sæua, inter procellas angentium pressurarum, inter inimicitias ac damna præsentia atque multimodas persecutiones infatigata persistat, & tamē de ipsa se aduersorum sustinentia iactet, nec de dono dei quo illustratur exultet, sed carnaliter se de uulgi fauore quo prędicatur oblectet, plusq́; gaudeat ex eo quod laudat, quàm ex eo quod habet unde laudetur, & per hoc humanam landem diuinis muneribus anteponat, quis dubitet hanc animi intentionem uirtutem dici non posse? Quæ si uirtus esset fortiter etiam blandimentis talibus repugnaret, nec adquiesceret mollibus, quæ adiuuante domino, dura quæq; uel aspera superasset. Quosdam namque insuperabiles asperis passionibus facit mundi cupiditas, in quibus non patientia laudanda est, sed mirāda duricia. Eos uero quos ad tolerantiam passionū fortes dei charitas reddit, nulla delectatio carnis, nulla uoluptas male blanda corrumpit, quoniam si non quid, sed propter quid patiamur, plurimum refert, nō in eis patientia est qui æquanimiter patiuntur angentia, sed in eis tantum quos fortiter facit sustinere iusticia. Denique dominus non ait qui persecutionem patiuntur & tacuit, sed adiecit propter iusticiam, ut euidenter ostenderet, quod patientiam ueram non facit pœna, sed causa, & ideo beatitudiuem non persecutionem patientibus, sed propter iusticiam patientibus repromisit. Quod si ita est, superandorum malo-

Al. aduersariorum

Al. operibus.

Mat. 5

Patientiā ueram nō facit pœna sed causa.

malorum sustinentia, tunc est uera patientia, si fuerit iusta, & in eis iusta est patientia, quorum nec doloribus nec uoluptatibus cedit mentis inuictæ constantia. Sed hæc animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum propheta cantamus. Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia uicia inuicta protectione corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deijciant, & tunc laus nostra dominus fit, si non nos de muneribus dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Nec illi suam possunt iactare uirtutem, quibus dominus factus est in salutem. Is ergo cui dominus est animi fortitudo, nullis carnalibus desiderijs cedat, nullis uoluptatibus adquiescat, ambitionem ac popularem gloriam uincat. Non eum pecuniæ amor addicat, non acerbitas passionum damnorumq; subijciat. Sit illi deus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta, ut ei quicquid carnalibus placet, in hoc mundo displiceat, quicquid preciosum uidetur esse uilescat, quicquid nitidum, futurorum contemplatione sordescat, nec ab his quæ iam per gratiam dei elisit, se patiatur elidi: quia & turpius uidetur animus ab his uicijs uinci quæ uicerat, et nihil ei prosit aliqua superesse, si alicui quod neglexerit superare subiaceat, quando non ille fortis haberi solet, qui in adeundis laboribus periculisq; claruerit, aut frenandis uoluptatibus ac domandis institerit, sed ille magnus & sublimis, ille potens atq; dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi uicij rebellare aut dominari permiserit, modo absit ignauia, ne nos id desperemus posse, quod pos

Esa. 12.

Al. dilectio.

Al. dominandis.

sumus. Absit præsumptio uitiosa, ne nobis hoc quod per dei gratiam possumus ascribamus, quia siue de munere dei, quo fortes efficimur desperemus, siue nos de nostra possibilitate iactemus, idonei ad resistendum uicijs esse nō possumus. Et utique animi fortitudo tam desperandi ignauiam debet excutere, quàm iactantiæ contraire.

DE IVSTITIA VEL FIDE, quæ ex ipsa procedit. CAP. XXI.

HActenus de uirtute, cui nomen est fortitudo, disputauimus, uideamus iam quid etiam iustitia nobis afferat in hac uita præsidij, & qualiter ipsa quoque in eorum pectoribus, qui se illi tradiderūt, nullis uiciorum ualeat impugnationibus superari. Fides enim quæ est iustitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, et ex quo omnia procedunt, ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, deo reconciliat, cunctis participibus naturę nostræ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat, auget in nobis uirtutes sanctas, ac nos in earū possessione confirmat.

Fides iustitiæ fundamentū.

DE AEQVALITATE, QVOD AD eandem pertineat humanæ societatis utilitas. CAP. XXII.

EX iusticia manat & æquitas, quæ nos facit ut omnium necessitates hominum nostras esse dicamus, nec nobis tantum, sed etiam generi humano nos natos esse credamus, & quicquid cuilibet homini nocere potest, tanq̄ si nobis noceat euitemus: quia qui homines sumus nihil humani à nobis alienum putare debemus. Siquidem beluarum est, sibi uiuere, nec suas utilita-

Terentij est sententia in Heauton.

utilitates in commune conferre. A quibus non solum mentis prærogatiua, sed etiam seruata iuris æqualitate distamus, si nos in omnium cõmodis uel incõmodis cogitantes, sicut nostris utilitatibus, ita omnium sociorũ utilitate naturę nostrę uiuamus. Deinde si inuicem persequi, lacerare, uel perdere, ferarum est proprium, quis dubitet excellentiæ humanæ competere, ut se alterutrum iuuent, instruant, ædificent, & utilitatem communem tanq̃ propriam curent? Vnde datur intelligi, quod qui opprimendis ac decipiendis hominibus nati persistunt, in mores ferinos, non naturæ, sed uitæ mutatione degenerent.

Ferarũ humanæq; excellentiæ proprium.

QVOD DVO SINT INIVSTItiæ genera. CAP. XXIII

DVo sunt iniustitiæ genera, unum quo iniurias irrogamus, alterũ quo ab aliis irrogatas cum possumus, propulsare negligimus. Quodammodo enim nos opprimimus, quando oppressos defendere cũ possumus, ab oppressiõe contẽnimus. Nec mihi aliquid prodest, quod nõ circumuenio aliquem neq; decipio, si decipi aut circumueniri permitto. Hoc idem de peccatis licet intelligi, quia si peccantem uideo & non solũ non arguo, sed etiã ei peccãti consentio, participem me damnationis eius efficio, & in omnibus peccantibus pecco, quando eos quos scio peccasse siue peccare, quadã crudelis animi malignitate non increpo. Nec uero audiendi sunt illi, qui se dicunt propterea delinquentes obiurgare non posse, ne eos qui emendare noluerint, sibi faciant inimicos. Qui dum parcunt eorum uoluntati, saluti non parcunt. At si non ex iactantia, sed ex misericordia & cum quadam pietate

etate compatientis animi castigemus, & illi nos sentiãt non minus peccatis suis moueri, quàm nostris, aut in bonum statum reformati nobiscum deo gratias agunt, aut si eos in peccato tenet adhuc peccandi dulcedo, & salutem suam nobis curæ esse cernentes, malum reddere pro bono uoluerint, malle debemus eorum inimicitias, qui noluerint emendari cõtrahere, quàm dei offensam, dum peccantes palpamus incurrere. Sed de his quoniam in libro secundo plura iam diximus, reliquas iusticiæ partes ut cœpimus exequamur.

Castigãdi modus.

Lib. 2. ca. 1. & 2.

DE LIBERALITATE, ET QVALITER BENEFICENTIÆ OPUS DEBEAT EXERCERI.

CAP. XXIIII.

DE iusticiæ adhuc fonte procedunt liberalitas, beneficentia, charitas, & cætera eiusmodi, quibus multipliciter iuuari homines possunt. Liberalitas quæ etiam in eos qui nihil indigere uidentur, exuberat, in qua liberalitas rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multa sunt opera, quibus necessitati laborantium misericorditer subuenitur, & de terreno censu regni cœlestis hæreditas comparatur, si modo absque ulla ostentatione opus beneficentiæ fiat, nec nos ad misericordiam faciendam turpis amor gloriæ popularis impellat. Inuenti sunt quidam qui diuersis quidem diuersorum necessitatibus subuenirent, sed aut appetitu comparandæ opinionis impulsi, aut carnali pietate cõmoti, aut spe recipiendi quod darent, aut reddendi quod accepissent, necessitate constricti sunt. Aliquos ad largiendum aliquid in paupe-

Al. huiusmodi.

Beneficẽtiæ multa sunt opera.

res sola mouet uersata cupiditas, qui ad hoc aliqua erogant, ut hic maiora recipiant, & quicquid eis uelut pauperum pastoribus datum fuerit erogandum, esurietibus illis, pro quibus sustentãdis accipiũt, totũ aut ꝓpe totũ q̃d acceperint in suas uoluptates expendũt, & q̃d est deterius, inter munificos ac misericordes haberi, uel etiã præ illis prædicari turpiter cõcupiscunt. Ab his omnibus & horum similibus longe diuersi sunt illi, qui non se in operibus suis, sed deum cupiunt prædicari, quos ad opus bonum spes futuræ remunerationis adducit, & ipsum solum uolunt habere sui operis testem, à quo se recepturos credunt totam fidei firmitate mercedem.

DE DIFFERENTIA AMORVM, & quantum ab eis differat perfecta dilectio. CAP. XXV.

ITaq; iam de charitate, unde plura in hoc libro supra disserui, quia locus exigit, hic quoq; pauca perstringã. Taceo de carnali amore, qui incipiens à cõiugio manat in filios: quia talem amorem cum pecoribus habemus bestijsq; communem. Propinquorum etiam prætereo, quia & ipse adhuc ad carnem pertinere uidetur & sanguinem. Nec de illo aliquid dico, quo & si amicos amamus, tamen etiam ipse refertur ad aliquod commodum tẽporale, non quod hi amores honesti non sint, cum sint omnibus naturales, sed quod his omnibus sit ille incomparabili diuersitate præstantior, quo deum diligimus gratis & amicum. Cæterum qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum conuincitur amare, sed cõmodum.

Carnalis amoris indicium.

dum. Et utiq; qui aliquem propter rem temporalem quamlibet amauerit, cum res ipsa temporalis desierit esse, amare cessabit. Qui autem diligit propter deum, sicut deus æternus est, ita in æternum ipsa amici dilectio permanebit. Et ideo deus quo nihil est maius aut melius, propter quid diligatur? Propter seipsum perfecte diligitur. Si uero saltem propter illa quæ præstat amatur, non utiq; gratis amatur, quia iam illud propter quod amatur, ei quod dictu quoque nefas est antefertur. Ipse quippe est omnibus amatoribus suis uita beata, ac salus æterna, & regnum gaudiumq; perpetuum accipient, qui deum diligunt, quia solus erit illis omnia, quando ipse fuerit in omnibus omnia.

De° amatoribus [illegible] salus æterna.

QVID SIT CVIQVE SVA tribuere. CAP. XXVI.

QVapropter si in hac uita iusticiam conamur implere, cuius iustitiæ opus est proprium sua cuiq; tribuere, deo nos à quo sumus facti reddamus, nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpositi sumus, permittamus. Dominetur uicijs ratio, subijciatur corpus animo, animus deo, & impleta est hominis tota perfectio. Ac per hoc & nos iusticiæ facti participes sua cuiq; tribuimus, si inferioribus & uirtutibus carnalia oblectamēta subdamus, & sicut uiuentia uita carētib°, sensibilia uiuētib°, intellectualia sensibilib°, immortalia mortalib°, ratiocinādo præponimus: ita bñ uiuendo uoluptuosis, utilia utilibus, honesta honestis, sancta sanctis, perfecta omnia præferamus. Veruntamen nec corpus spiritui, nec appetitus obtemperare poterit rationi, nisi deus qui ipsum spiritum creauit, & cor-

Hominis perfectio in quibus consistat.

& corpus, delectatus cogitationibus nostris requiescat in nobis, ac tanquam uerus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficiat, ut quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum consummatæ maturitatis adducat, atq; ita nobis uoluntarie sibi subiectis desideria mala subijciat, ut ex ipsis actibus nostris, qui sit habitator noster, & cuius in nobis fiat uoluntas, appareat.

QVOD ACTVALEM VITAM tres uirtutes, id est, temperantia, fortitudo, iusticiaq; consumment, & prudentia, quę est quarta uirtus, menti cognitionem rerum latentium præstet. CAP. XXVII.

HIC est ordo naturæ atq; iustitiæ, quem qui tenere uoluerit & obseruare, perfectionem uitæ actualis implebit. Cui actuali uitæ tres illæ uirtutes (de quibus quæ dicenda iussa sunt, deo donante dixi) proficiunt. Siquidem temperantia & animi fortitudo atq; iustitia spiritualis est actio, sine qua nihil omnino ualet illa, quæ ad prudentiam uidetur pertinere cognitio: quia nihil nobis proderit implenda didicisse, nisi ea quæ didicimus, studeamus implere. Ergo uis animi, quę in appetitum rationemq; diuiditur, ad perfectionem bonæ actionis implendam cognitionemq; rerum latentium consequendam, his quatuor uirtutibus, unde etiam iam diu disseruimus adiuuatur. Quarum tribus temperantia scilicet & animi fortitudine atq; iusticia informatur ipse appetitus, ut actio fiat. Prudentia uero rationem, quæ est acies mentis illuminat, Al. uisa.

Omnis uirtus tri bus in rebus uersa tur.

nat, ut & ratio appetitum gubernet, & rationi appe tus obtemperet. Nam uirtus omnis (sicut ueteribu placet) tribus in rebus uere uersatur. Quarum una in perspiciendo quid in qua re uerum sincerumque si quod prudentiæ munus est proprium, de qua loco su uidebimus. Altera quæ animi perturbatos affectu quos greci dicunt πάθη, coercet ac temperat, ut omn appetitiones quas illi ὁρμὰς uocant, rationi obedien tes efficiant. Tertia, ut his, quibus congregamur, u uelimus ad eorum salutis & nostræ plenitudinem ca piendam. Quę omnia ad reliquarum trium uirtutu pertinere uidentur officium, ex quibus temperant & fortitudo plurimum ualent in coercendis anim perturbationibus ac frenandis, quas perturbation nonnulli passiones, alij ægritudines uocant. Quib modificatis, & quadam temperantiæ ac fortitudin lege compositis, omnes uirtutes in homine suo cre tori subiecto, sine ullis uiciorum contradictionib regnant.

DE SOCIALI VIRTVTE, ET quod non recte faciant, qui cum possint, nihil humanæ societati proficiunt.

CAP. XXVIII.

IVsticia uero qua fiunt iusti, qui eã fuerint operat socialis quædam uirtus accipitur, eo quod ipsa be neficijs, quæ alijs præstat, augetur. Quis enim non ipso proficit, quo proficere alium cupit? Quis no misericordem sibi deum facit, qui misericors erga la borantes uel errãtes extiterit? Aut quomodo non au gebit in se omnia bona sua, qui ea non solum non in

uide

uidet habentibus, sed etiam nō habentibus, in quantū potest, diuinitus inspiratus impertit? Ex quo uidendū est, utrum iuste faciant illi, qui se remouentes ab occupationibus cunctis, ac studijs spiritualibus auferētes, nihil humanę societati proficiunt, et desideria sua commodis omnium præferentes, utilitatem communem desideratæ uacationis electione cōtemnunt, cum profecto laborantibus opem ferre nolle cum possis, & communi bono posthabito ociosa quiete frui, nihil habeat ęquitatis. Cui æquitati qui seruiunt, omnes omnium bono uiuunt, ac uelut sibi inuicem nati salutē mutuam tuentur ac diligunt. Ac per hoc contra iustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis electo ociosum studium fructuosæ uoluntati regendæ multitudinis anteponunt, & cum possint laboranti ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Sed quoniam sunt multi, qui se impares tanti sacri ministerij norunt, tales iuste se etiam quæsiti non offerunt, ne uideantur non ecclesiasticos labores uelle suscipere, sed honores ambire, cum dignitas ecclesiastica nec ambienda sit nec uitanda. Qui uero præesse & prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, iuste seipsos percipiendæ sapientiæ studijs tradunt. Verum tamen si & illi qui lucris per se proficientium crescūt, & isti qui in se ipsis sub deo suo sapientiæ spiritualis perceptione ꝓficiunt, in proposito suo ꝑmaneant, itineribus quidem diuersis incedunt, sed ad unā patriam tendunt, & ad unum regnum disparibus militantes officijs Christo rege omnium uocante perueniunt. Quis enim nescit, quod sicut ociosum studium ineffabilem suauitatem sapientiæ cœlestis infundit à carna-

Taxat ecclesiasticos cum ociosa quiete fruentes.

Dignitas ecclesiastica nec ambienda, nec uitanda est.

libus ocioso, ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices afferat fructus humanæ societatis utilitatibus occupato? In ipsis quoque studijs spiritualibus quantum possint ecclesiastici uiri proficere, quis sufficienter enumeret, cum & inferiores docendo seipsos exerceat, & conferendo cum æqualiter eruditis cautiores in pluribus fiant, & ab eruditioribus audiendo male sibi persuasa deponant, recta firmius teneant, occulta cognoscant, & confirmētur in eis quorum dubijs fluctuabant? Sed quoniam disputationis ordo deposcit, ut etiam de prudentia, quæ principalis uirtus quarta ponitur, pauca dicamus, de iusticia sufficiant ista quæ diximus.

QVOD DE PRVDENTIAE AC sapientiæ fonte, cognitionem omnium rerū bibant, qui percipiendæ scientiæ feruenter inuigilant.

CAP. XXIX.

PRudentiam ac sapientiam plærique indagatione ueri & inuentione cōstituunt. Credo propterea, quod nec sapiens rite dici possit, cui prudentia, nec prudens, cui sapientia desit. Quapropter si nihil aliud prudentiæ ac sapientiæ munus accipitur, nisi inquisitio & comprehensio ueritatis, qui ueritatem prudenter quærere, & sapienter inuenire poterit, is prudens, is sapiens iure uocabitur. Hoc idcirco præmiserim, ut quicquid de prudentia fuerit disputatum, id totum etiam de sapientia dictum possit intelligi, quia ita sibi hæ duæ uirtutes implicatæ sunt & unitæ, ut una (Al. implicitæ.)

quælibet

quælibet earum sine altera non possit esse, ut nec imprudens sapientia, nec insipiens possit dici prudentia. Si ergo tota humanæ uitæ perfectio in actione & cognitione consistit, sicut in plærisque actionem temperantiæ ac fortitudinis atque iusticię cõsummatione probauimus, ita cognitionem rerum prouenire consecutione prudentiæ comprobemus. Cognitio rerum quę de prudentiæ fonte cõfertur, spirituales omnes à carnalibus uicijs defecatos illustrat, & ab omni delectatione noxiæ curiositatis auerso desiderio contemplandæ uirtutis inflammat, ut humanarum rerum diuinarumque sententiam consecuti prudentes ac sapientes ueraciter fiant, prospiciant imminentia mala simul & caueant, nec putant ulla esse mala, nisi ea quæ malos efficiant, nec eis ullæ perturbationes uelut ignaris earum modestiæ aliquid aut tranquillitatis excutiant, inter fallentia & bona solida discernant, nihil in hoc mundo casu aut iniuste, sed omnia deo uolente ac permittente fieri prudenter accipiant, aliter intelligentes, aut doceant sapienter aut arguant, dolores uarios ac diuersas infirmitates, quæ mortaliter uiuentes affligunt, non semper peccatis præcedentibus sequi, sed plærumque ex ipsa conditione mortalitatis accidere corruptibiliter natis intelligant, & scientes se non damnari aduersis præsentibus, sed probari ex ipsa tolerantia passionum, occasionem comparandæ sibi patientiæ uiriliter agentes arripiant, nec ipsi alijs noceant, nec sibi nocere permittant. Tales dominus in Euangelio fieri præcepit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colũbæ: quia nec simplices circumuenire aliq̃s possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt. Cæterum si in contractu

Nihil in hoc mundo casu, at omnia deo permittente fiunt.

Mat. 10.

quolibet, siue in colloquio, uel in alia quaq; re, se decipi quisq; nō sinit, & alium tamen ipse decipiat, iste non habet prudentiam quæ salutis magis q̄ perditionis est causa, sed simulat. Quoniamquidem hæc uirtus à uicio distat, quod illud corrumpit sana, hæc sanat uicij accessione corrupta, ac sic aut omnibus quibus potest prodesse festinat ueraciter prudens, ut eius meritis omniū qui per eum deo adquirūtur fructus accrescat, aut si cogitat de perditione cuiuspiam, uel de casu pereuntis exultat, necesse est ut prius pereat ipse, q̄ alium perdat, & ab ipso ea perditio qua perire alium cupit, incipiat.

Prudens omnibus prodesse festinat.

QVOD PRVDENTES NEC ALIIS noceant, nec sibi noceri permittant, & quod eis ibi sit sine admixtione alicuius erroris consummata prudentia, ubi erit sine ullo peccato uita perfecta. CAP. XXX.

HI ergo qui prudentię participes, prudentes effecti, deo suo non pedibus, sed sanctis moribus appropinquāt, et ex ea parte qua sunt dono dei prudētes nec suo perire possunt, nec alieno peccato. Ex eo autem quod necdum ita est eorum perfecta prudentia, sicut in illa uita erit, ubi perfecte uiuentibus ullis obripere omnino non poterit, etiam prudētes aliquoties peccatis fallentibus adquiescunt, non uoluntate deprauati, sed humano errore, ut homines lapsi nec adhuc tota prudētię perceptione perfecti, sicut ibi erūt ubi nec ignorare aliquid, nec peccare iam poterunt. Hic uero si potuisset à peccato recte facto perfecte discerni, nunq̄ ab occultis suis oraret ille mundari, qui

ait.

ait. Ab occultis meis munda me domine, et ab alienis parce seruo tuo. Quibus uerbis satis ostendit, quod illi quoque qui sancte secundũ donũ sancti spiritus uiuũt, tamẽ propter aliquas infirmitates humanas, quas trahunt siue sciẽtes siue nescientes aliquoties aut suo peccato cedunt, aut alieno consentiunt. In hac igitur uita ubi aut uolũtate, aut errore, aut infirmitate peccatur, quicunque diuinitus adiuti uolũtate non peccant, utique irreprehensibiliter uiuunt. Sed quia potest eos error, aut infirmitas peccatis inuoluere, ab illo se illuminari fideliter postulẽt, & sanari, cui exultans ille clamabat in spũ dicẽs: Dñs illuminatio mea & sal⁹ mea, quẽ trepidabo, ut cũ illuminatio per donũ prudentiæ ac sapiẽtię collata detraxerit cęcitatẽ, et sanauerit per gratiã dei salus refusa languorẽ, tunc mẽs illuminata diuinitus & sanata, nec in eis quę cauẽda uel appetẽda sunt humano decipiatur errore, ut aut pro ueris falsa defendat, aut pro falsis uera reijciat, & sine ullo infirmitatis obstaculo bonũ quod elegerit implere pręualeat. Sed alia est salus huius uitæ qua mortaliter uiuitur, alia illius ubi mortale nostrũ immortalitate donabitur, & aliter salui facti sumus in spe, aliter salui erimus in re. Hic ita salui facti sumus, ut adhuc perire possimus, ibi quicunque saluus fueris, perire ultra non poteris, ac per hoc sciẽtia quæ cognitionẽ rerum nobis in huius seculi nocte uiuentibus præstat, plenitudini futuræ collata, pars scientię est credenda nõ tota, propter quod dicit sanctus Apost. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum aũt uenerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Hic euacuari asserit, illic cõsummari, quamquidem pars scientiæ est perficienda, perfectaque non euacuanda est, sed implenda. Proinde ibi erit o-

Psalm. 18

In hac uita aut uoluntate, aut errore, aut infirmitate peccatur.

Psal. 26.

Al. ualeat

1. Cor. 13.

mnium fidelium catholicorum salus plena, corruptibilitas nulla, & immortalitas beata, ibi erit prudentiæ ac scientiæ perfectio uera, rerum omnium cognitio tota, quando scientia ad perfectum fuerit partis euacuatione perducta.

DE AFFECTIONIBVS QVAtuor, quod inter uicia numerari non debeant, si earum usus ex bona uoluntate procedat.

CAP. XXXI.

VIdeamus nunc quid diligentia disputationis inueniat etiam de quatuor affectionibus, quas uicia esse stultitia sapientium mūdi huius existimat. Nam si timere ac dolere, cupere uel lætari omnino nō possent, nisi peccatores aut perditi, recte non affectus aliqui possent dici, sed morbi. At cum tales animorum metus inueniantur in sanctis Apostolis & prophetis,
2.Cor.11. quis ita desipiat, ut eos uicia credat, ex quib⁹ deo placuerunt illi, qui uicijs plusquam cæteri homines restiterūt? Itaq; Paulus Apostolus de timore sic loquitur:
Philip.1. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euā sua astutia, sic & uestri sensus corrumpantur à castitate, quæ
Rom.9. est in Christo. Itē de cupiditate fiducialiter dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Sed & de tristitia quam alij dolum appellant, idem uas electionis & do
Rom.16. ctor gentiū ait: Quia tristitia magna mihi est, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Sed & de lætitia ad Romanos scribens, cum dixisset, uestra obedientia in omnem locum diuulgata est, gaudeo, inquit, de uobis,

sed

sed uolo uos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Hũc timorẽ uel dolorẽ, hãc cupiditatẽ, hoc gaudiũ qui reprehẽdere uoluerit, ipm rephẽdit Apostolũ qui per tales affectiones non solum deo placuit, sed etiam quosdam inter criminosos, quod esset sine culpa culpauit. Sed & propheta dicendo: lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, & ex persona domini, sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit, talẽ lætitiam tristitiamq́ commendat. Cum uero alius dicit, timor domini expellit peccatum, & concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum, non solum nõ reprehendit, sed etiam laudat spiritualis concupiscentię & diuini timoris effectum. Non ergo has affectiones habendo, sed eis male utendo delinquimus: quia humanorum affectuum proprietas, hominis indicat creatorem, qualitas bonam uel malam significat uoluntatem, ac sic motus hi, qui in hominibus affectiones sunt, eædem ipsæ in bene utentibus uirtutes, & in male uiuentibus passiones siue perturbationes, aut, ut quidam uolunt, ægritudines fiunt. Nec audiendi sunt Stoici, qui eas penitus eradicari posse & debere contendunt: quoniam omnino nullus est sensus, ubi timẽdi uel dolendi, cupiendi siue gaudendi nullus inuenitur affectus. Denique quasi ipsos pœnitere suæ sententiæ, excepta tristitia, quam cadere in sapientes animum negant, reliquos affectus nominibus immunitatis inesse sapientibus dicunt, cautionem pro timore, pro lætitia gaudium, & uoluntatem pro cupiditate ponentes, quasi sapiens non timeat, sed caueat, & uelit non cupiat, nec lætetur in hac uita, sed gaudeat. Non autem credunt eius contristari animum, quod tristitia, quæ accidere solet ex commisso peccato

Psal. 121
Psalm. 68
Eccle.
Sapien. 6
Affectiones in bene uiuentibus uirtutes sunt in male uiuentib⁹ perturbationes.
Stoicorũ sententia contemnenda.

sapientem quem putant nullum habere peccatum, stimulari nō possit aliqua recordatione peccati. Quod esse uanissimū dñs noster secundū carnē natus ostendit, qui et tristis fuit et fleuit. Nec tamē ea tristitia qua tristis fuit ei ex peccatis suis accessit, qui sine peccato conceptus & natus, non solum nō peccauit, sed etiam peccare nō potuit. Vt aūt de suis literis istorū reuincantur ineptiæ, qui putant sapientē contristari uel dolere nō posse, legant illud quod eorū doctissimus ait. Nam omnino nō dolere, nō sine magna mercede cōtingit immanitatis in animo, stuporis in corpore. De timore aūt quem illi ponunt in malo, scriptura nostra loquitur dicens. Timor domini sanctus permanēs in seculū seculi. Sed quod uere fatendū est, ab illo alio timore pœnali distinguitur, de quo dicit Apostolus. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorē: quia ille peccare uolentes deterret à malo, & inuitos tenet in bono, iste aūt de quo dicit propheta, qui sine timore est non potest iustificari, magis incremento ueritatis augetur, & aliter quis timet ne malū quo puniatur incurrat, aliter ne bonū quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor haberi debet in uicio, sed ille tantū de quo scriptum est, quia timor pœnam habet. Cæterum iste de quo dicitur timor domini expellit peccatū, & qui sine timore est, nō potest iustificari, & timor dñi sanctus permanens in seculum seculi, non est inter uicia numerandus, sed potius intelligendus est uicijs inimicus. Iā dicunt quod dicunt, boni uolunt, mali cupiunt, uel boni gaudent, mali lætantur, quis sanę mentis admittit animo, quis sana mēte nō redarguat, cum & scriptura nostra hominē malæ uoluntatis increpet dicens: noli uelle mentiri omē

Mat. 26 Luc. 19.

Crantoris Academici est sententia apud Ciceronem 3. Tuscul. quæst. de indolētia.

Eccle. 1.

1. Ioan. 4

Eccle. 7

mendacium,& Tullius orator amplissimus cupidita- Tul. lib. 2
tem ponat in bono, ubi dicit, cupio patres conscripti inuectiua
me esse clementem. & apud illos Verg. gaudium uitu in Ca
peret dicens: hi metuūt, cupiuntq́ gaudentq́ dolentq́, tilinam.
item cum in malum malę mentis gaudia apud nos, & Verg. li. 6
bonæ lætitia ponatur in bonū, propheta dicente: Læ- Aeneid.
tamini in dño, & exultate iusti: Proinde omnes iusti Psalm. 32
& tota morū sanctitate perfecti sine aliqua Stoicorū
distinctiōe superflua timēt & cauēt, uolunt & cupiūt,
lætātur & gaudent, cōtristantur & dolēt. Sed interest
multum quid timeant aut caueant, uelint aut cupiant,
unde lætētur aut gaudeant, cōtristentur aut doleant.
Metuunt hæreditatē regni cœlestis amittere, cupiunt
ad cœlestē patriam peruenire. Dolent tentati, gaudēt
de tentationibus liberati, ac per hoc recta mēs rectos
hos habet affectus, peruersos peruersa. Sanctus Au- Diui Au-
gustinus episcopus acer ingenio, suauis eloquio, secu- gustini
laris literaturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus ope- prçconiū.
rosus, in cotidianis disputationibus clarus, in omni sua
actione cōpositus, in expositione sua fidei nostræ ca-
tholicus, in quæstionibus absoluendis acutus, in reuin
cendis hæreticis circumspectus, & in explicandis scri
pturis canonicis cautus, ipse ergo quē in his libellis ꝓ
possibilitate secutus sum, hanc quæstionē de qua agit,
hoc modo determinat dicens: Sed cum rectam ratio- August.
nem sequuntur istæ affectiones, quando ubi oporteat lib. 14. de
adhibentur, quis eas tunc morbos & uiciosas passio- ciuit. dei,
nes audeat dicere? Quas affectiones ut ex mortalita- cap. 9.
tis cōditione nobis inesse mōstraret, & huic uitę neces
sarias non futuræ, post aliquanta idem adiungit & di
cit: Et si iam rectas habemus has affectiones, huius Ibidem.
uitæ sunt, non illius quam futuram speramus.

QVOD HI AFFECTVS SINE QVIbus in hac uita recte non uiuitur, in illa futura beatitudine non sint, quæ nec timorē habitura est, nec dolorē. CAP. XXXII.

AC sic nisi ex conditione nostrę infirmitatis nobis inessent affectus isti, nunq̃ plærunq; dolendo uel flēdo eis cederemus inuiti. Sed idcirco eos huic necessarios uitæ nescimus: quia in hac mortalitate sine eis omnino recte nō uiuimus, quando si nō timeat quisq; uel caueat, ne aut ipse q̃diu mortalitate uiuit, aut alius quē in Christo diligit fide sua deficiat, si nec de suo nec de proximi sui peccato cōtristetur, nec doleat, de ꝓfectu lætetur aut gaudeat, si nihil boni uelit, aut cupiat, non solū recte non uiuit, sed etiam sensum ipsius humanitatis amittit. In illa autē uita beata ad quā consumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perueniūt, quicunq; ibi futuri sunt, ubi nec fletus ullus potest esse, nec gemitus, habebūt omnes sancti amorē perfectū, timorem nullum, et gaudium sempiternum. Ibi eis erit uoluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cœlestibus bonis, ad quę peruenire cupiebāt, nihil eis deerit quod ulterius concupiscant, & in illa regione securitatis ac pacis perfecte beati, nec timoris stimulos passuri sunt nec doloris. Sed timor ille nō quē charitas foras mittit, sed quē charitas nutrit ideo fortassis in seculū seculi ꝑmanebit: quia in seculum seculi permanebunt illa, ad quæ timor ipse perduxerit.

QVALITER VIRTVTES QVAtuor quæ dictæ sunt principales, aut in præsenti nos à peccato defendant, aut in æternum nobiscum sine ullo peccato permaneant. CAP. XXXIII.

Porro

Porro illæ uirtutes quatuor de quibus pauca perstrinxi, & si ibi erunt, longe tamen alio modo q̃ in hac uita sunt, ubi cõtra uicia sine intermissione confligũt, & pro ipso ancipiti dubiæ cõuersationis euentu, modo negligẽtes qui sibi nolũt obedire, destituunt, modo ad alios quibus displicent sua peccata, uel accedũt deo miserãte uel redeunt. Nã ibi & si erit temperantia, nõ ut desideria mala uel uicia refrenet, aut uincat, sed ut eos quos hic ab intẽperantiæ impugnatiõe defendit ibi perficiat, ut ex om̃i parte perfectis præmij sui beata pceptio perfecte sufficiat. Ibi em̃ & animi fortitudo non ut aliqua mala ꝓpulset aut æquanimiter ferat, sed ut sine ullis malis beatos fortit in ęterno bono cõtineat. Ibi in oĩbus pfectis erit perfecta iustitia, nõ ut inter uirtutes discernat, et uicia, ubi nec ipsa erũt iã corpora uiciosa, sed ut pfectis præmia tribuat sempiterna. Quod tũc fiet, qñ omni cõcupiscentia carnali consumpta, nec aduersus carnẽ spiritus, nec caro aduersus spiritũ cõcupiscat, sed animus deo subiectus, cũ carne sibi subiecta in pace sempiterna regnabit, & creatori suo in ęternũ feliciter adhęrebit. Iã prudẽtia quę hic q̃ꝙ habet clara, ubi in ęnigmate quodã prudẽtes illuminat, qualis ibi erit, ubi ueritatẽ pfectis, quos hic eius inquisitio delectabat, sine ullis figuris fallentibus demõstrabit, ut prudẽtię ac sapientię plenaria perceptione diuinitus illustrati, oĩa illa quę hic perfecte cupiebant nosse nec poterant, sine ullo impedimento corruptionis ac mortalitatis agnoscant, & nõ solum omnium creaturarum rationem, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie reuelata conspiciant. Gal. 5.

VBI SE DE TOTO OPERE LOcutor excusat. CAP. XXXIIII.

ITaq; si placet huius quoq; libelli iā terminus fiat, ne amplius iusto productus, non solū de sui squalore, sed etiā de nimia plixitate displiceat. Hoc sane oēs qui hęc fortiter lecturi sunt contestor, & obsecro, ut quicqd in rebus ipsis quę utcunq; digestę sunt reprehēsionis inuenerint, uitio meæ rusticitatis ascribant, & mihi dignanter indulgeant. Qui dum studeo præceptum iubentis implere, etiam maiora uiribus meis præsumpsi suscipere. Ea autem quæ secundum fidē catholicā dicta probauerint, deputent deo, qui dat omnibus affluenter, & nō improperat, & pro his omnibus mecū gratias agant. Cæterū de accusatione dictionis elucubratæ non satago, nec mihi pudoris est, si disputatio mea quę forte probat in rebus, aliquos uerborū inaniū sectatores horrore incomptę orationis offendat, quia q̊d ab hoīe doctore studendo nō didici, id exhibere loquēdo nō potui. Et tamē cum sententiarū uiuacitatē sermo ex industria cultus eneruet, & totā uim dictorū splendor elaboratus euacuet, quis nō iudicet me affectationem cōpositionis debuisse cōtemnere, etiā si eam potuissem uelut dicendi peritus implere? Quapropter ea mihi uisa ē cōpositio satis ornata, quæ compositiones animi cū necessaria quadam perspicuitate proferret, nō quæ illecebris aurium deseruiret. Ea est enim, ni fallor, iudicata latinitas, quæ breuiter & aperte obseruata dū taxat usitatorū uerborū proprietates res intelligendas enunciat, nō quæ uernantis eloquij uenustate atq; amœnitate luxuriat, & prudētibus uiris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro uerbis, sed pro rebus enunciandis uerba sunt instituta.

Iacob. 1.

Sermo ex industria cultus, eneruat sententiarum uiuacitatē.

Compositio ornata.

Latinitas iudicata.

FINIS LIBRI TERTII D. PROSPERI de uita contemplatiua.



INCIPIT LIBER PETRI DAMIANI HOSTIensis episcopi, qui dicitur gratissimus.



Omino N. uenerabili Rauennaticæ sedis antistiti, P. uiuificæ crucis Christi humilimus seruus Salutē in id ipsum. Qui auctore deo sacerdotiū nouiter suscepisti, nullū tibi in primis offerēdum munus, q̄ quod de sacerdotibus factū est congruentius credidi. De his itaq; qui gratis sunt à symoniacis consecrati, quanta iam per triennium in tribus Romanis concilijs fuerit disputatio, quàmq; perplexa atque confusa dubietas, & in his partibus cotidie uentiletur, sanctitatem uestram latuisse non arbitror: præsertim cum crescente fluctuationis ambiguo eotenus sit processum, ut nonnullos constet episcopos ab illis ordinatos denuo consecrasse. Vnde mihi fratres plæriq; quadam præsumptiuæ charitatis instantia familiariter exigunt, & uiolenta, ut ita fatear, supplicatione compellunt, ut in tantæ necessitatis articulo subuenire, uel compendiosum quid scribendo non pigeat, atque quid mihi super hac sententia uideatur, exponam. Quod quidem diutius decertaui, sperans me uidelicet à beatissimo prius apostolicæ sedis antistite licentiam accepturum. Hac siquidem transiturus in proximo ferebatur. Sic namque integrum decernebam ecclesiasticam quamlibet tractare materiam,

riam, si ab ipso ecclesiæ principe tractandi mihi aucto ritas aspiret. Sed cum mihi recurreret ad memoriã quia iam uenerabilis papa postrema synodo omnes episcopos ex diuina obtestatione rogauerit, quatenus dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negocio decernendum esset, nu tantibus reuelaret, eius me arbitratus sum secundare prorsus imperio, si uel orando uel scribẽdo, tam diffi cilem nodum de ecclesia soluere, superna â lubescente gratia potuissem. Quapropter uidelicet in illum spe rans qui aperit librum & soluit signacula eius, soluen
Apoca. 5. dæ huius quæstionis iter adgrediar, & quia copia di cendi non suppetit, delegatæ mihi obedientiæ studio, ubi loqui nescio, nutibus saltem gestire tentabo.

QVOD CHRISTVS CHARISMAtum dona per ministros uerbi sui distribuit.

CAP. I.

Constat plane mediatorem dei & hominũ Christum Iesum ecclesiã suã sic ordinasse ab ipso re demptionis humanæ primordio, ut per ministros uer bi sui charismatum dona distingueret, & tamen in se metipso omnium gratiarum plenitudinem principa liter retineret: Nã is qui dicit Aposto. habemus the
2. Cor. 4 saurum istum in uasis fictilibus, idem etiam confite
Col. 2. tur: quia in pectore Iesu omnes thesauri sunt sapiẽtiæ absconditi. Si aũt in pectore Iesu om̃es thesauri sunt, & nihil excipitur, quid ergo relinquitur, quod in uasis hominum fictilibus recondatur? Sed quod ille totum naturaliter possidet, hoc illi per gratiam participatio ne illius iuxta mensuram habent. De illis enim dici-

tur,

tur, quia hoc operatur unus atque idem spiritus, diui- 1.Cor.12.
dens singulis prout uult. At de unigenito filio dicit
Iohannes baptista: Non, inquit, ad mensurā dat deus Ioan.3.
spiritum. Et iterum. De plenitudine eius nos omnes Ioan.1.
accepimus. Quia ergo ab illo uno fonte omnes hauriunt unde bibant, ad illum necesse est semper gratias agendo recurrant, nec supernæ gratiæ dona ab alio se credere percipere posse, nisi ipso largiente, à quo hæc certū est emanare. Qui enim diuini muneris nō deo, sed homini se debitores existimant, tanquam à sui fontis irrigatione siccati, necesse est ut deficientes arescant, nec in semetipsis præualent fluere, dum ab originali plenitudine fontis obliuiscunt ubertatē uberantem suæ uegetationis haurire. Vñ nō incōgrue per Salomonē dicitur: Omnia, inquit, flumina intrant in ma Eccl.1.
re, & mare non redundat, ad locum unde exeunt, reuertuntur, ut iterum fluant. Hūc excursum atq; recursum spiritualium fluminum, mystice Lucas describit, Luc.9.
quū ait, quia cōuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis uirtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum dei. Ecce egressus fluminum. Ac postmodum subdit. Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcunq; Luc.10.
fecerunt. Ecce reditus. Ad locum ergo unde exeunt flumina reuertuntur: quia electi quiq; illi se debitores esse nō ambigūt, à quo uidelicet hauserant omne, q̄d spiritualiter fluūt. Vñ et Pau. ait: Diuisiones gratiarū sunt, idē tñ spiritus, & diuisiones ministrationū sunt, 1.Cor.12.
idem autem dominus, & diuisiones operationū sunt, idem uero deus, qui operatur oīa in omnibus. Nēpe cum primum ponat spiritū sanctum, deinde subiungat dominū, postremo deum, ostendit sanctam trinitatem

tatem unum scilicet deum, omnium gratiarum es
indubitanter auctorem. Ipse enim sua dona distribu
qui singulorum merita & operum diuersitates occ
ta prouisione discernit.

QVOD SACERDOS EXTERIVS ministrat, sed deus inuisibiliter consecrat.

CAP. II.

QVapropter plena credendum est fide, quod s
ministris suis Christus ecclesiasticæ consecra
tionis delegat officium, ut tamen apud se omnium o
dinum contineat principaliter sacramentum, sic'q; se
uis promouendi conseruos ministerium prærogat
ut in nemine ipsum consecrandi ius uirtutem'q; trans
fundat. Licet enim pontifices per iniunctæ admini
strationis officium consecrare uideantur, sed ille uer
citer consecrat, qui spiritum sanctum inuisibiliter dat
Alius namque est qui orat, alius qui exaudit, alter ill
qui petit, alter qui petitionibus annuit. Quis enim es
Act. 8 qui se Petro & Iohanni audeat comparare? Tamen
de ipsis dicitur, quia missi Samariam, imponentes ma
nus his qui baptizati fuerant, orauerunt pro ipsis, &
illi acceperunt spiritum sanctum. Non ergo ex eorū
largitate sed ministerio, ac perinde non illis donanti
bus, sed orantibus spiritus sanctus super credentes il
lapsus est. Vnus enim est sacerdos magnus, unus pon
tifex summus, qui introiuit semel non in quælibet san
Hebr. 9. cta sanctorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat uul
tui dei pro nobis. Ex quo uidelicet tanquam quodam
uertice omne sacerdotium per ecclesię membra diffun
ditur, omne quod sacrū est, ineffabiliter propagatur.

Vnde

Vnde cum discipulos ad baptizandnm misit, non in eos sacramenti uirtutem transtulit, sed obedientiam indidit, & non auctores baptismi, sed ministros esse cit. Nam cum dicit, Ite in orbem uniuersum baptizare omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. euidẽter ostẽdit: quia non ipsi, sed ille pro culdubio baptismatis auctor est, & erat, in cuius nomine baptizabãt. Vnde Ioannes baptista dicit: Qui me misit in aqua baptizare, ille mihi dixit: Sup quẽ uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat. Et tamen Ioannes euangelista ait: quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Ecce dominus non baptizat, & tamen de illo dicitur, Hic est qui baptizat: quia quisquis baptizandi exhibeat ministerium, ille tamen operatur intime sacramentum.

Mar. 16. Matt. 28

Ioan. 1.

QVOD SICVT VNVS EST QVI baptizat, ita unus idem'q; est, qui principaliter consecrat. CAP. III.

SI quis autẽ hic mihi fortassis obijciat, aliud esse baptismum humanæ regenerationis, aliud consecrationis ecclesiasticæ dignitatem, nos quicquid in hac parte de baptismo credimus, totũ nihilominus & de consecratione sentimus. Nam cum baptismus totius ecclesiastici sacramenti origo sit atq; primordium, sicut baptismus dei est, & non hominis, ita nimirum omnis ecclesiastica cõsecratio illi specialiter competit, à quo omnium benedictionum plenitudo profluxit: De quo uidelicet dicit Apostolus: Qui benedixit nos, inquit, in omni benedictione spirituali

in cœlestibus. Neq; enim uel ipse baptismus, uel prorsus aliqua consecratio magnum aliquid habet, nisi intuitu spiritus sancti, qui per exercitia illa tribuitur. Nam ut dicitur, quid est aqua nisi aqua? Sed accedit uerbum ad elementum, & descēdente spiritu, fit sacramentum. Cum ergo in utroq; sanctificationis genere, hoc sit totum atq; magnificum, quod siue ab his qui baptizant, siue ab his qui consecrant, spiritus sanctus accipit: sicut non humanę uirtuti uel potestati, sed autori deo baptism⁹ ascribit, ita nihilominus & quælibet ecclesiastica cōsecratio, ad illū per omnia necesse est, referatur, operante siquidem in utrisq; multiformi gratia dei, ut & illi absolutionem obtineant peccatorum, & isti prouehantur ad spiritualium ordines dignitatum, illi exuti ueterem cum

Ephe. 4. actibus suis induant nouum hominem, isti tanquā sacerdotes dei induantur iusticia, illi quasi modo ge-

Psalm. 131 niti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscant,

1. Pet. 2. isti ut perueniant in mensuram ætatis plenitudinis

Ephe. 4. Christi. Operatur enim in illis, ut filij fiant adoptionis, in istis autem, ut sint ministri & dispensatores

1. Cor. 4. mysteriorum dei. Illi namq; per spiritum renascuntur, isti eodem disponēte spiritu, iam ut filios dei generent, præferuntur.

QVOD DONINVS CVM BAptismo simul & sacerdotij iura susceperit. CAP. IIII.

SYncera igitur atque integra fides habet quod sicut baptismus, ita & nihilominus sacerdotalis cōsecratio nulla sordētiū labe ministrorū polluitur, nullo alieni reatus crimine uiolatur. Sed q̄tūuis facinorosus, quātislibet sit criminibus inuolutus is qui con-

consecrat, is qui cõsecratur nullo, pp̄ter hoc sacri muneris detrimento percellitur, nec aliqua cœlestis gratiæ diminutione fraudatur. Non enim merito sacerdotis, sed ex officio quo fungitur consecrationis ministerium in altum propagatur. Neque expedit in consecratore considerare qualiter uixit, sed ministerium tantummodo adtendendum est, quod accepit. Sicut enim multi sunt, qui baptizandi funguntur officio, & tamen unus est qui baptizat, ita licet multi sint sacerdotes, unus est tamen qui proprie ac specialiter consecrat. In illa nempe columba quæ super dominum post baptisma descendit, ipse cum sacramento baptismatis & ueri sacerdotij iura suscepit, fuso uidelicet super eum oleo exultatiōis de quo Psalmista ait: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Probatur autem redemptor noster cum baptismo simul & sacerdotij suscepisse mysterium, quia baptizatus mox prædicare, discipulos eligere, nouisq; cœpit miraculis coruscare. Quod hactenus profecto fecisse non legitur, si diligenter euangelici textus series recenseturr. Hinc est, quod sancta ecclesia ab ipso suo capite huius normam institutiōis arripuit & fideliter seruat, ut ad instar ipsius domini infra tricennium ad sacerdotium quemlibet non admittat. Nisi enim certa fides haberet cum baptismo dominum simul & sacerdotium suscepisse, ut quid tantopere canonica prohiberet autoritas ante illius ætatis tempus, quo ipse baptizatus est, quempiam ad sacerdotales infulas aspirare? Imò cur ad accipiendum sacerdotale fastigium dominicæ ætatis adhiberetur exemplum, si minime crederetur tunc dominus non sine sacerdotio suscepisse baptismum?

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Psal. 44.

Disti. 78. ca. Nemo & c. Presbyter, ac extra de elect. Cū in cūctis.

Sicut enim baptismum, ita & sacerdotium ex parte
humanitatis pro nostra salute suscepit, cuius uideli-
cet utriusq; sacramenti in eo quod deus est, autor &
Hebr.6. cõsecrator existit. De quo Apostolus dicit: Vbi præ
cursor pro nobis introiuit secundum ordinem Mel
chisedech pontifex factus in æternum. Nam & ipsi
sancti Apostoli non reperiuntur alibi fuisse à domi
no consecrati, nisi in perceptione baptismatis, qui ta
men non aqua baptismatis manifeste leguntur im-
mersi, sed iniũctam potius executi sunt obediẽtiam
baptizandi, quia nimirum iussi sunt baptizare cre-
dẽtes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Præ
Actu. 1 terea cum illis à domino dictũ sit: Ioannes quidem
baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu
sancto non post multos hos dies, constat eos tunc
perfecti baptismatis atque omnigene similis con-
secrationis accepisse mysterium, cum super eos spiri
tus sanctus uenit in diuersitate linguarum. Cum er
go in ipso humanæ redemptionis exordio utriusq;
sacramenti genus uel à domino, uel ab Apostolis si-
mul uideatur acceptum, claret baptismum sic esse cõ
secrationis ecclesiasticæ fundamentum atq; princi-
pium, ut qui baptismi principatum tenere cognosci-
tur, ipse nihilominus consecrationis autor absq; ulla
prorsus ambiguitate credatur.

QVOD NVLLA SIT CAVSA cum rebaptizari quisq; non audeat, cur debeat iterum consecrari.

CAP. V.

QVod cum ita sit, quid causæ sit ego non ui-
deo, cum baptizatus etiam ab hæretico, non
rebaptiza

rebaptizatur, cur promotus à ſimoniaco ſicut dici-
tur, uel deponatur, uel cõſecretus denuo. Si enim ba
ptiſmus per homicidam uel adulterum, uel etiam hę
reticũ datus ratus, habẽdus eſt propter illud euãgeli Ioan. 1.
cum ſuper quem uideris ſpiritum deſcendentem &
manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat, nil omni-
no cauſæ eſt, cur non in conſecrationibus ad eundẽ
utriusq́; ſacramenti redeamus autorem, ut æque di-
camus, hic eſt, qui conſecrat. Nunquid enim colum-
ba illa ſuper mediatorem dei & hominum cum uir
tute baptizandi uenit, & cũ conſecrandi uirtute non
uenit? Quid enim accipit, qui baptizatur niſi ſpiritũ
ſanctum? & rurſum quid ille, qui conſecratur, niſi ſpi
ritum ſanctum? Si ergo propterea quis à quoquam
flagitioſo baptizatus non rebaptizatur, quia ſpiritũ
ſanctum accepiſſe creditur, non per illius meritum,
ſed per eius officium, & non ab illo, ſed à Chriſto de
quo uidelicet ſolo ſpecialiter dicitur, hic eſt qui bapti
zat, cur & is qui conſecratur non aliud niſi eundem
ſpiritum ſanctum, & ab ipſo utique Chriſto ſuſcipi
at? Namque inter baptizatum atq́; cõſecratum ſit in
hac parte diuerſitas penitus non uidetur. Quorum
ergo una eſt cauſa, eadem debet eſſe ſentẽtia, niſi for
te alius eſſe cenſendus eſt ſpiritus, qui in conſecratio
nibus datur, alius qui in baptiſmo tribuitur. Sed quis
hoc ſacrilega temeritate præſumat, cum manifeſte Ephe. 4.
clamet Apoſtolus: unus deus, una fides, unũ baptiſ-
ma? Et iterũ: Si is qui uenit, aliũ Chriſtũ prędicat, quẽ 1. Cor. 11.
non prædicauimus, aut alium Chriſtũ accepit, quẽ
non accepiſtis, aut aliud euangelium, quod non acce
piſtis, recte pateremini. Huc accedit, quod ſicut 1. quæ. 1.
canonica teſtatur autoritas, idcirco prohibetur re- Quod qui

 baptiza-

baptizatio fieri, ne sanctæ trinitatis nomen in quo baptizatus est, uideatur adnullari. Quod si hæc est causa, cur rebaptizari quisq; non debeat, cui manifestius, quàm ordinato cuilibet à simoniaco congruit, qui non tantummodo in sanctæ trinitatis nomine consecratus. Sed & omnem prorsus ordinem catholicæ consecrationis obseruat? Simoniacus namq; licet peruerso cõmercio efficaciter hæreticus, est tamen fide catholicus, eiusq; damnatio magis ex ambitione descendere, quàm ad perfidiam uidetur pertinere, quãq et si iaculata in Simonẽ Petri sentẽtia diligenter inspicitur, nec ipsa Simonis fides innocens inuenitur. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditio-
Actu. 8. nem, qui donum dei existimasti pecunia possideri. Nam cum dicit, existimasti donum dei pecunia possideri, euidenter ostendit, talem tunc fuisse Simonis fidem, ut si precium daret, nec immerito ad facienda miracula spiritum sanctum negociatus acciperet.

QVOD ORDINATIO SI SIT catholica, sit etiam rata.

CAP. VI.

MOderni autem temporis simoniaci, quia miraculis se clarescere posse non sperant, non spiritum sanctum, non eius dona desiderant, sed obtinẽdi principatus ambitiõe succẽsi, ad culmẽ tantũmõ dignitatis anhelãt. Itaq; q̃tũ ad fidẽ integri sunt, q̃tum uero ad monetæ fabrilia, simoniacę hæreseos dãnationis laqueis innectunt. Huius autem hæresis duo leguntur autores, alter sub prophetica, alter sub
4. reg. 5. apostolica pestilenter emersisse doctrina. Giezi nimirum qui magister esse uendentium, Simon quoque

que qui autor uidetur emptorum. Horum igitur se ctatores sicut non sunt in errore diuisi, ita nec in damnatione discreti. Quibus tamen si catholica fiat ordinatio, sacræ dignitatis officium, ad quod non merentes accedũt, perfecte suscipiunt. Eiusdẽ nanq; uirtutis est spiritus sanctus, cum eius gratia uenditur, cuius est & cum gratis datur, nec propter peruersitatis humanæ cõmercium diuina potentia propriæ potestatis perdit effectum. Plane & saluator noster cum uenditus esset, & pestilentissimi talenti summa proditoris iam crumena turgeret, inter ipsas persequutorum manus præcisam seruo Malcho auriculam reddidit. Itaq; quantæ super eos uirtutis esset, quorum manibus subiacebat, aperte monstrauit. Quod autem flagitanti Herodi miracula nõ exhibuit, dispensationis fuit ratio, non defectio potestatis. Erat enim qui optabat indignus. Nam ei à quo sperabatur, non deerat potestatis effectus. Porro & in cruce suspensus, postquam spiritum reddidit, dum terra mouetur, dum sol obscuratur, ueli facta diuisio, scissio lapidum, resurrectio mortuorũ, cuncta hæc liquido testantur, quod non inferioris potentiæ fuerit, inter supplicia positus, quàm nunc uidelicet in dextera paternæ gloriæ sublimatus. Eodem nanq; modo etiã de spiritu sancto credendum est, quia unius uirtutis est, & cũ uenalitati quodammodo subiacere cernitur, et cũ gratuita manus impositiõe præbet. Sicut ergo redẽptor nr̃ dum uenderetur, dũ pateretur à sua nõ potuit maiestate deficere, ita etiã spiritus sanctus, licet amaritudo uenalitatis obrepat, dispendium tamen propriȩ uirtutis ignorat. Licet enim sacerdos quilibet uideatur operari

Act. 8.

Ioan. 18.

Luc. 23

Ibidem.

exterius, sed ipse Christus qui uerus est sacerdos & summus pontifex accedentibus ad diuersos exitus sua dona dispensat, quæ nimirum aliis ad salutem, aliis proueniunt ad damnationem. Id tamen quod datur omnino bonum est, licet reus sit ille, qui accipit. Neque enim bonus medicus uenenum propinaret ægroto. Nunquid enim buccella illa quam Iudę dominus porrexit bona non fuit? Sed quod erat causa salutis, factum est illi materia damnationis, quia instrumentum pacis non pacatus accepit. Cuncti etiam liquido nouimus, quia mysterium eucharistię quod de sancto altari siue iusti, siue peccatores accipimus, utrique bonum est, nec bonus melius, nec malus peius accipit, & tamen dicit Apostolus: quia indignus iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Si ergo & illud corpus domini est, quod indignus accipit, perspicuum est, quod res bona malo uertitur in pernitiem, quæ bono utique prouisa est ad salutem. Nec tamen res mala est dicēda, quia nocet, nec ideo esse sacramentum desiit: quia execrandus accepit, sed potius asserendum est quia indigno eadē res facta est occasio mortis, quæ bonis procurata est ad remedium salutis. Indubitanter igitur credendum est, quod si consecratio cuiuslibet ecclesiastici ordinis inter catholicam fiat ecclesiam in unitate uidelicet orthodoxæ fidei, ut in utroque nimirum recta sit fides, quicquid bono per bonum traditur, hoc etiam malo per malum exhibetur efficaciter: quia hoc sacramentum non ministrātis uel ministraturi pendet ex merito, sed ex ordine ecclesiasticæ institutiōis & inuocatione diuini nominis, & quoniam sicut unus est, qui baptizat, ita procul dubio

Ioan. 13. De cōse. dist. 2. ca. Et sancta est a. Sicut Iudas.

1 Cor. 11.

culdubio

culdubio unus idē'qȝ qui cōsecrat, hoc ex larga Christi benignitate tribuitur, quod is qui accipit, nō meretur. Qui enim oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, quid mirum, si imbrem gratiæ suæ in arenosum littus effundat? Quod nouum si etiam ipsos cæcorum oculos sui radij splendore feriat, ut & ipsi merito cantare possint, quod infelix ille Balaam dixit, Homo, inquit, cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum dei, qui nouit doctrinam altissimi, & uisionē altissimi uidet, qui cadens apertos habet oculos? Matth. 5. Num. 24

QVOD BALAAM SIMONIAcus fuit, & tamen prophetiæ spiritum non amisit. CAP. VII.

ECce unde hic auaritiæ filius tanta potuit magnalia cernere, & redemptionem mundi longissime post futuram tam expresse, tam lucide nunciare, si spiritus sancti presentiam nō habet? Sic eñ egregius prædicator ait: Quis nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Itaqȝ quæ dei sunt, nemo nouit nisi spiritus dei, presertim cum & eadem scriptura dicat, quia irruente in se spiritu dei, assumpta parabola ait, uidelicet q̊d modo præmisimus. Dicimus quod per simoniacū donum spiritus sancti non datur. Nunquid non in Balaam isto simoniaca hæresis iam tunc uiguisse cognoscitur? Nunquid non sancti spiritus gratiā uendere conabatur, cum ad promissionem precij ariolatus sui depromebat oraculum? Sic enim scriptura testatur, quia seniores Moab rogabant eum habentes pre- 1. Cor. 2. Ibid. Nu. 24. Num. 22.

cium diuinationis in manibus, et rursus per alios nũtios misit ad eum, inquit, Balach filius Sephor dicẽs:
Ibid. Ne cuncteris uenire ad me, paratum honorare te, & quicquid uolueris dabo tibi. Amore quidem pecuniæ succensus æstuabat, & tamen per eum spiritus sanctus profunda mysteria loquebatur. Balaam deniq; & Balach uterque deo manifeste contrarius, uterq; dei populo extitisse probatur infestus, donumq; diuinæ gratiæ quod alter emere, alter uenditare nihilominus gestiebat. At tamen propheticę reuelationis arcanum & iste extra meritum protulit, & ille utiq; indignus audiuit, atq; ut magis largitatem diuini muneris admiremur, maledicere nitebatur Balaam, & tamen inuitus econtrario benedice-
Num. 23. bat. Ad maledicendum, inquit, adductus sum, benedictionem prohibere non ualeo. Chamus quippe diuinæ uirtutis ori eius erat innexus, nec poterat aliorsum impetum linguæ dirigere, nisi quo spiritus sanctus præsidens intorsit. Cum uoluntate siquidem lingua pugnabat, & turbulentam salsuginem quam mens prædamnata conceperat per oris alueum effluere non ualebat. Vnde quoniam sicut petebat iaculari in populũ dei maledicta nõ potuit. Si ergo ille qui etiam maledicere concupiuit, nequaq̃ tamen ut maledicere possit obtinuit, quid nisi hoc de simoniacis sentiri ualeat, ubi mens certe cum linguæ benedictione non cõcordat? Sed qui dignitatis propheticæ officio irreuerenter abusus est, quo tandem collatæ gratiæ prærogatiuam fine cõclusit. Nã post digestã Israelitici populi uictoriam scriptura
Nu. 31. mox intulit dicens: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Sic nimirum siue simoniaci seu quili-

quilibet criminosi suscipiendis se ecclesiasticis ministerijs applicent, & donum quidem supernæ gratiæ ex benignitate largitoris accipiunt, & dignum tamen proprij excessus stipendium non euadunt. Hoc enim illis uertitur in pernitiem, quod dignis prouisum est ad salutem, atque illi inde in æternæ mortis periculum corruunt, unde & alij ad capessenda uitæ præmia uegetius conualescunt. Certe qui illam sacræ scripturæ paginam, quæ de præfato Balaam loquitur oculo uigilanti percurrit, nullatenus dubitat hunc infelicem uirum reuera per omnia simoniacū, excepto quod Simon nec dum fuerat, ex quo detestabile illud mutuaretur agnomen, & prophetiæ suæ gratiam uenalem habuisse, & tamen per hunc manifeste spiritum sanctum fuisse locutum, atq; quod non minus stupendum est, cum iam cor eius concupiscētiæ ignibus ureretur, deus sibi nihilominus per diem atq; noctem locutus quasi familiariter inuenitur. Et ne fortassis idcirco spiritum sanctum minus Num.22.
habuisse credatur: quia per Moysen appellatur ariolus, uigilanter eiusdē historiæ uerba percurre, & eo- Nu.24.
dem Moyse perspicue testante reperies, quia quum uidisset Israel in tentorijs commorantem, protinus in illum dei spiritus irruit, & ut reuera prophetam in uaticinij mox oraculum excitauit. Et ariolus ergo appellatur, & propheta est: quia quem ad propheticam dignitatem gratia superna prouexerat, obscœno ariolatus nomine propria prauitas deturpabat. Vbi considerandum est, quàm profundum Psal.65.
dei sit atque subtile iudicium, imò quàm terribilis sit deus in consilijs super filios hominum, cum uidelicet mirabilis ille uir, neq; propter reatus sui nequi-

tiam, gratiã quam semel acquisierat, perdidit, & tamen propter ipsam gratiam quam usurpabat indignus, diuinæ ultionis sententiam declinare non potuit. Quid ergo mirũ, si omnipotens deus qui semper est, & mutari non nouit, nihilominus antiqua examinis sui iura custodiat, & eandem assuetæ discretionis regulam teneat, ut quod in Balaam fecit hodieq; in suis similibus non dissimiliter operetur, quatenus & pro largitate clementiæ dona sua indignis exhibeat, & pro censura iustitiæ digne eos ultionis animaduersione percellat?

QVOD REPROBVM SAVLEM cum satellitibus suis propheticus spiritus occupauit. CAP. VIII.

Illud quoq; obscurum non est, quod cum Saul direxisset lictores ad rapiendum Dauid, atq; iuxta
1.Reg. 19 fidem historiæ uidissent cum eo prophetarum chorum uaticinantium, & Samuel stantem super eos factus est etiam in illis spiritus domini, & prophetare cœperunt. Cumq; Saul secundo & tertio alios atq; alios mitteret, & illos nihilominus spiritus propheticus inuasisset, tandem ut scriptura testatur, iratus ipse Saul abijt in Ramatha. Sed antequam peruenisset, factus est etiam super eum spiritus dei, & prophetauit tota die nudus cũ cæteris corã Samuel. Quid
1. quęst. 1. prophetauit Saul. ergo mirum, si peruersi homines dona dei quibus digni non sunt, ad cumulum suæ damnationis accipiant, cum Sauli isti quem deus abiecerat, quem dæmon agitare consueuerat, sępissime non modo spiritum dei ad horam suscipere, sed etiam cum suis offi-

cijs

ciјs concessum est diutius prophetare. Iracundię nẽpe felle commotus, & liuoris simul & odiј erat ardore succensus, atque ut non diutius immorer, deo uacuus, malo spiritui fuerat infatigabiliter mancipatus. Tamen cum ad locum chori uaticinantis accessit, repẽte in eũ diuinus spũs irruit, & uelut apposi tam materiam ignis insiliens occupauit. Non ergo incredibile uideri debet, si in sancta ecclesia quæ proculdubio thronus dei, sacrarium est spiritus sancti, omniumq́; cœlestium charismatum receptaculum, illud gratiæ sacramẽtum & indignus accipiat, nimirum quod non dantis hominis uel accipientis est meritum, sed summi largitoris est beneficium. Non enim legitur, quia spiritus ubi dignum est, spirat, sed potius dictum est, ubi uult spirat, ut profecto spiritalis gratia quæ ecclesiastica institutione tribuitur diuinę potius uolũtati, quàm humanis meritis ascribatur. Enimuero spiritus sanctus non pro meritis semper uenit, sed pro meritis in quolibet ad salutem uidelicet semper manet. Hinc est illud, quod ueritas dicit: Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eũ ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Quod enim in dilectorem suum, postquàm uenturum se esse promisit, mansionem quoque facturum protinus addidit, patet profecto: quia in aliјs habitat de us, in aliјs hospitatur. Huic etiã illud simile est, quod ait: super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementẽ sermones meos? Ac si patenter dicat: Et super alios quidem ueniet, super hũc uidelicet requiescet, quia dignus est. Nam sicut & ante nos dictum est, spiritus meus sicut con

Ioan. 3. Ioan. 14. Esa. 66.

ciliatus & placatus requiem præstat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduersus immitibus & superbis inquietudinem exagitat. Quam scilicet inquietudinem Cyniphes illæ breuissimæ significabant, sub quibus magi Pharaonis defecerunt, dicentes, digitus dei est hic, fatentes sibi aduersum esse
Exo. 8. spiritum sanctũ, qui erat in Moyse. Apte nimirum tertio loco ubi cyniphũ plaga ponitur, spiritus sanctus qui tertia est in sancta trinitate persona inquietis hominibus fuisse contrarius perhibetur. Hanc inquietudinem expertus est Iehu, qui diuino zelo du-
4. Re. 10. ctus ad ulcerandos quidem dei inimicos & præcipue cultores Baal uehementer irrauduit, ipse tamẽ eos quos Ieroboã coluerat deos aureos nõ reliquit.
3. reg. 12.

QVID DOCTORES DE BAptismo, & dominici corporis eucharistia sentiant. CAP. IX.

TRia profecto præcipua sacramenta in sancta frequentantur ecclesia, baptismum uidelicet, corporis quoque & sanguinis dominici salutare mysterium, & ordinatio clericorum. Et de baptismo quidem beatus Augustinus in expositione Ioannis euãgelistæ, de eucharistia uero dñici corporis in li. suo Paschasius ita concorditer disputat, ut neq; per bonos sacerdotes meliora illa mysteria, neq; per
1. quæ. 1. ca. Sic aũt & ca. seq. Nonne. malos fieri peiora testetur. Nimirum siue per fures, siue per adulteros, siue etiam per homicidas hæc sacramenta fiant, nil prorsus ab his, quæ sancti dedicant sacerdotes mysterijs differtur. Quod qui prædictis libris operam dedit, enucleatius absolutum esse non ambigit. Super ordinationibus autem cle-

ricorum

ricorum frequens idcirco disputatio non processit: quia duobus illis sacramentis euidenter expositis, hæsitandi de tertio locũ dubietas non inuenit. Hũc autem modum excedens curiositas hominum, nouam mundo ingerit quæstionem, & perspicue luci plus intendendo minusq; uidendo conatur inferre caliginem. Quomodo, inquiunt, gratia spiritus sancti uel per malos datur, uel à malis accipit? Non adtendentes, quia gratia spiritus sancti ipse ordo ecclesiasticæ dignitatis accipitur, quem uidelicet siue indignus præbeat, uel indignus accipiat, spiritus sanctus qui ecclesiæ suæ iura disponit ratum esse decernit. Vt enĩ ait beatus Hieronymus, episcopus, presbyter & diaconus: non sunt meritorum nomina, sed officiorum, tanquam si uel tribunus ipse degener sit, uel degenerem quempiam ad militiç ordinem prouehat, ad conseruandũ tamen militiæ suæ ordinem, imperator omne quod factum est, firmum esse constituit. Nec enim tribunitij iuris statuta conuellit, qui ipsum tribunum nec dum à proprij ordinis dignitate deiecit. Sed dicitur ediuerso. Ecce euangeliũ clamat: Qui non intrat per ostium, sed aliunde ingreditur, ille fur est & latro. Esto ut ille qui aliunde clandestinus irrepsit, furti & latocinij constanter arguatur, me tamen quem per ostium intromisit, sui proculdubio criminis participem nõ effecit. Et ille itaque perpetrati sceleris supplicium luat, dummodo me alieni reatus præiudicium non inuoluat, nec alterius me exhibeat culpa damnabilem, quem propriç innocentiç puritas reddit immunem. Porro de eo quod dicitur, quoniam gratiam sancti spiritus indignus homo accipere nequeat, constat proculdubio:

Lib. 1. aduersus Iouinianũ.

Ioan. 10.

bio:

bio: quia corpus domini quod in sacris altaribu
per sancti sacerdotis dedicatur officium, concept
sancti spiritus uirtute uiuificatur & sanctificatur, u
nos uiuificare ualeat & sanctificare, sicut in ipsis ue
nerandis missarum decretis dicitur. Per quem hæ
omnia domine semper bona creas, sanctificas, uiui
cas, benedicis. Neque enim aliter uiuificari posse cr
ditur, nisi per spiritum sanctum, cum testante ueri-
tate sancti spiritus sit uirtute uiuificatum & sancti-
ficatum, atque ut confidenter loquar, eiusdem diui
spiritus gratia uiuaciter plenum. Quod si scelerat
forte cuilibet hoc porrigit, nunquam propterea sp
ritus sanctus corpus dominicum deserit, & tanqu
squalore sordidi uasis nauseatur abscedit. Sed si it
est, quomodo uerum est, quod per Apostolum dic
1.Cor.11. tur: quia indigne percipiens iudicium sibi mandu
cat & bibit, non diiudicans corpus domini? Si enim
abscedente spiritu non illud iam corpus domini, se
simpliciter communis est panis, non incidit in iudi
cium, qui nullum accipit sacramentum. Quod si a
surdũ uidetur & impium, propter indigne suscipie
tes sanctum spiritum à corpore Christi separare, n
Augustinus. durum uideatur malos etiam homines ad indigno
meritorũ exitus spiritum sanctum posse suscipere
Hinc est quod beatus Augustinus in expositiõe epi-
stolæ sancti Ioannis Apostoli sic loquitur: Habere
1.Re.19. baptismum & malus potest, habere prophetiam &
malus potest. Inuenimus Saul regem habuisse pro-
phetiam, qui persequebatur sanctum Dauid, imple-
tus est spiritu prophetiæ, & prophetare cœpit. Acci
pere sacramentum corporis & sanguinis domini et
malus potest. Nam de talibus dictum est, qui man-

ducat & bibit indigne, &c. Habere nomen Christi
& malus potest, id est Christianus uocari & malus
potest. De quibus dictum est: Polluebāt nomen dei
sui. Ergo habere sacramenta omnia et malus potest, Leu.22.
habere autem charitatem, & malus esse non potest. 1. quæst. 1.
Si ergo iuxta tanti doctoris sententiam omnia sa- Multæ.
cramenta malus habet, quomodo ridenda fatuitas
hominum impudenter blacterat: quia simoniacus
sacramenta non habet? Audiamus quid idem præ-
clarus doctor ex eadem re alibi dicat, ut nimirum Augusti.
quam sententiam in hac uentilamus quæstione te- li. quæ. no
nuerit, tanto liquidius, quanto frequentius innote- ui & uete
scat. Nam quum de benedictione Isaac in filium lo- ris testa-
queretur, adiecit. Iusti, inquit, hominis quantum ad mēti quæ.
conscientiam eius pertinet, uoluntas bona est, quan 11
tum autem ad præscientiam, immunis est ab aduer-
sis. Dominus enim solus est, qui de futuris iudicat.
Ac per hoc Isaac iustus, quantum ad præsentem hu-
manitatem dignum est, maiorem filium suum bene
dicendum magis putabat. Sed Deus qui occultorū
cognitor est, minorem benedicēdum mereri osten
dit, ut in benedictione non hominis ostenderet esse
beneficium, sed dei, quia officij dignitas non homi-
nis meritum, quam dei sequitur benedictio. Deniq;
dictū est à deo in Nu. ad Moysen & Aarō sacerdotes: Num.6.
uos ponite nomen meum super filios Israel, ego do
minus benedicam eis, ut gratiam traditam per mi- 1. quæst. 1
nisterium ordinantis transfundat hominibus, nec ca. Dictū
uoluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed est.
meritum benedictionem poscentis. Quanta autem
dignitas sit ordinis sacerdotalis uel officij, hinc ad-
uertamus. Dictum est autē de nequissimo Caipha

interfectore saluatoris inter cetera. Hoc autem à se-
Ioan. 11. metipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illi-
us prophetauit. Per quod ostenditur spiritum san-
ctum datorem gratiarum, non personam sequi aut
digni aut indigni, sed ordinem traditionis, ut quis
boni meriti sit aliquis, non tamen possit benedicere,
nisi fuerit ordinatus, ut officiũ ministerij exhibeat,
dei autem est effectum tribuere benedictionis. Hæc
itaq; beati uiri uerba tam plana sunt, tamq; perspi-
cua, ut quisquis hæc postquam semel attenderit, per
tinaci tamen animo parat adhuc obstinate conten-
dere, non iã Petrũ qui nihil est, sed magnũ potius Au
gustinũ conuincatur impugnare. Quid enĩ apertius
eo quod dicitur, quia in benedictiõe sacerdotis, non
hoĩs est bñficiũ, sed dei, & officij dignitas ẽ, quã dei
sequit̃ bñdictionõ hoĩs meritũ, postremo spiritũ gra
tiarũ, nõ personã sequi aut dignitatẽ, sed ordinatio-
nẽ traditionis? Et reuera qd ad me cuius meriti sit or
dinator meus, dummodo quod ille forte mercatus
est mihi gratis impertitur, & quo ipse clandestinus
irrepsit, ostiatim me ciuem exul, extraneus domesti
cum, hæredem mercenarius introducat? Neq; enim
à quo, sed ad quod prouehor magnipendo. Constat
igit̃ quia sicut duo illa quæ superius dicta sunt, baptis
mus uidelicet & salutaris eucharistiæ sacramentum,
neq; meliora per bonos, neq; deteriora per malos
fiũt, ita nihilominus & ordinatio clericorum. Nũquid
deniq; Caiphas ille dignus fuerat, per quem spiritus
Ibid. sanctus uiuificæ mortis Christi mysteriũ loqueretur?
Nã cũ dixisset, expedit ut unus moriatur homo pro
populo, & nõ tota gens pereat, protinus euãgelista
subiungit, hoc aũt à semetipso nõ dixit, sed cum esset
pontifex anni illius prophetauit. Propheticum pla-

ne spiritum ad momentum accepit, non ut ipse quæ uaticinabatur agnosceret, scilicet ad hoc potius, ut conspiratores suos, ad accelerandam mortē domini cam auidius incitaret. Nobis nempe non sibi uidit, & occultum sapientiæ thesaurum, quem ipse ignorabat, aperuit. Nam & à simoniacis Caiphas iste nō prorsus extraneus reperitur, si uigilanter ueteris historiæ series recensetur. Nimirū sicut Eusebius Cęsariensis in ecclesiastica narrat historia, ut eadem hic quoq; uerba ponātur legalibus pręceptis iā per illud tēpus ui et ambitiōe cessantibus, nulli quippe pōtificatus honor uitę uel generis merito reddebat̄, ita ut annuatim successionibus mutaret̄. De Iosepho in testimoniū deducto per unius quadriennij spatiū quatuor pontifices annali quēq; sacerdotio perfunctos, sibijnuicē successisse testat̄. Valer. inqt, Gratus Anna sacerdotio deturbato Ismahelē pōtificē designauit filiū Bassi, sed & hūc nō multo post abijciēs, Eleazarū Annę pōtificis filiū pōtificatui subrogauit. Post annū etiam hūc arcet officio & Simoni cuidā Camithi filio pōtificatꝰ tradidit ministeriū, quo nō amplius & ipse q̄ unius anni spatio perfunctus, Iosephum cui & Caiphas nomen fuit accepit successorem. Ecce Caiphas neq; gratis neq; legaliter intelligitur suscepisse sacerdotium, nimirū qui deturbatis alijs, & uiolēter eiectis ipse in locū dignitatis obrepsit, & tamē prophetię spiritū indignus accepit. Vnde & beatus Hieronymꝰ in cōmētario euāgelistę Matthęi. Moyses, inquit, deo iubente præcepit, ut pontifices patribus succederent, & generis series texeretur in sacerdotibus. Refert Iosephus istū Caiphā unius tantum anni pōtificatum ab Herode precio redemisse. Nam

Cap. 12.

Li. 18. Antiqu. ca. 4. Al. labi.

eod. libr. cap. 8.

ut ita loquar, in manu cæci positum est lumen, non
quod ille conspiceret, sed alijs ministraret. Non enim
ex merito ille propheticum spiritum, sed ex mini-
sterio quo fungebatur, accepit. Regnum namque &
sacerdotium à deo cognoscitur institutum. Et ideo
licet administratoris persona prorsus inueniatur
Daniel. 3 indigna, officium tamen quod utique bonum est, com
petens aliquando gratia comitatur. Hinc est enim
quod Nabuchodonosor postquã tres pueros in ca-
minum misit incendij, quamuis alij plures adessent,
solus tamen quartum cuius species erat similis filio
Gene. 41 dei conspicere potuit. Nam oculos mentis eius spi
ritus sanctus aperuisse credendus est, ut quod alios
Gene. 20. latebat, solus aspiceret, & quod aspexit, etiam ultro
agnouisset. Hinc Pharao somnium uidit, per quod
uenturæ sterilitati ne famis impatiens Aegyptus
profligeretur, occurrit. Hinc Abimelech diuinę al-
locutionis oraculum meruit, et ut Saram uiro redde
Psal. 81. et ret ne repente moreretur, audiuit. Reges enim &
104. sacerdotes licet nonnulli corũ reprobi sint per no-
Ioan. 10. tabilis uitæ meritum, dij tamen & Christi dici repe
Exo. 21. riũtur, propter accepti ministerij sacramentũ. Hinc
Exod. 22. est quod seruus Hebreus dijs applicari ex lege præ
cipitur, hoc est, sacerdotibus præsentari. Hinc alibi
1. reg. 24. dicitur: Ne detrahas dijs, id est, sacerdotibus ne de-
& 26. roges. Hinc Saul cum iam diuina sententia regalis
Exod. 34. solij arce fuisset deiectus, nihilominus adhuc Chri-
stus domini usque ad obitum dicebatur. In lege quip
Malach. 1 pe præcipitur, ut omne primogenitum masculini
sexus sanctum domini uocaretur. Sed si meritum
2. reg. 13. cuiusque diligẽter attendit, nunqd Esau sanctus iure
uocabitur, de quo nimirũ diuina uoce dicitur: Esau
odio

odio habui? Nunquid Amon sanctus erat, qui dum
in sororis concubitum impudenter exarsit, fratris
Absalon gladium ultorem uidelicet incestuosi cri-
minis proprio sanguine madefecit? Nunquid Ma
nasses, nũquid Ochozias recte sancti dici possunt? 4.reg.21.
Quorum alter, scriptura teste, omnem cœli militiam 2.Para.33
coluit, alter dum Beelzebub deum Accaron de uitæ 4.reg.1.
diuturnitate consuluit, miserando exitu uitã in per-
fidiæ suę desperatione conclusit. Aliud namq; est ex
uitæ meritis sanctum esse, aliud ex ministerio con-
ditionis dici.

NON MIRVM, SI SPIRITVS sanctus ab indignis accipitur, cum & ipse dei filius ab impijs sit comprehensus.

CAP. X.

ET sanctitatis quidem meritum in alium non
transfertur, ordo autem ministerij in plures,
prout ecclesiastica institutio postulat, propagatur.
Vbi nimirũ non discernendũ est, quis consecratiõis
officiũ habeat sed qd habeat. Aliud namq; est gratię
sacramentũ, aliud ipsa gratia. Sacramentum siqui-
dem gratiæ dat omnipotẽs dominus etiam per ma
los, ipsam autem gratiam non nisi per semetipsum.
Sæpe namque deus, ut dictum est, & illis spiritum
suum ex largitate clementiæ suæ præerogat, quos Cap. præ
tamen per meritum prauæ conuersationis ignorat. cedenti.
An non & illi spiritum dei indubitanter habuerant,
qui uenientes ante tribunal iudicis clamant: Domi- Mat.7.
ne, nonne in nomine tuo prophetauimus? Et cætera
quæ sequuntur. Quibus uidelicet ilico respondetur: Ibid.
Discedite à me operarij iniquitatis, nescio uos. Qui

nimirum dum se prophetiæ spiritum habuisse testã tur, & tamẽ repulsionis sententiam subeunt, patẽter ostenditur: quia in quibusdã neq; propter prauitatẽ uitæ excluditur spiritus sanctus, neq; propter spiritum sanctũ quo irreuerẽter abusi sunt uita damnabilis excusatur. Sicut enĩ testante dño, nescimus un-
Ioan. 3. de ueniat uel quo uadat, sic etiam scire nemo põt uel quur aliqñ & in reprobos homines ueniat, atq; per eos suæ uolũtatis iudiciũ promat. Nã cum Aposto-
1. Cor. 2. lus dicat, quia spiritalis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicat, quis iudicet ipsum spiritũ sanctũ, si & in prauos nõ abhorreat arcana, qua ipse nouit discretione descendere, qui etiã coessentialem et coe-
Sapien. 1. ternum sibi dei filiũ noluit ex impiorũ manibus liberare? Vnde per Solomonẽ dicitur: Benignus est enĩ spiritus sapientię, & non liberabit maledictũ à labijs suis. Benignus namq; congrue spiritus sanctus dicitur, qui mala merentibus bona retribuit, & dignis supplicio gratiæ suæ munus impertitur. Quis autẽ hoc loco per maledictionẽ nisi redemptor noster debet intelligi? Qui ut nos à maledictionis uinculo solueret, ipse nõ respuit maledictionibus subiacere.
Gala. 3. Vnde & Paul. dicit: Christus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ quod
Deut. 21. scriptum est: Maledictus oĩs qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationẽ spiritus accipiamus per fidem. Benignus ergo spiritus sanctus non liberat maledictum à labijs suis: quia cuncta dominicæ passionis mortisq; supplicia, quę de Christo per ora prophetarũ ante prædixerat congruo tẽpore per exhibitionẽ operum efficaciter adimpleuit. Tunc enim quodam
modo

modo à suis eum labijs liberaret, si quid de illo propheticis enunciauerat oraculis per rem ordinē non implesset. Vbi notandum, q̃ profunde quamq; mystice simul cõgruat doctoris utriusq; sentẽtia. Quod enim unus dixit, quia spiritus non liberabit maledictum à labijs suis, hoc est quod alter asseruit, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Atq; ut ostenderet uir sapiens de quo meledicto loqueretur, præmissa sententia protinus addidit: Quoniam renum illius testis est deus, & cordis illius scrutator est uerus, & linguæ illius auditor. Quia enim patris & filij inseparabilis & coessentialis est unitas, renū filij testis, & cordis eius scrutator iure pater asseritur, cuius nimirum uirtus & sapientia ipse filius nulla ab eo creditur inæqualitate diuersus, nulla probatur abiunctione semotus. Linguæ etiam illius auditor est, sicut ipse testatur: Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autē sciebam quia semper me audis. Idcirco igitur spiritus non liberabit maledictum à labijs suis: quia renum eius testis deus atq; scrutator est cordis illius & linguæ auditor. Ac si patenter diceret: Ideo dei filius passionis supplicia pertulit: quia ipse filius, cui cum patre & eodem spiritu sancto una uoluntas, una est prouidentia, id fieri pro humani generis salute decreuit. De quo nimirum Apostolus qui dilexit me, inquit, & tradidit semetipsum pro me. Vt ergo ad proposita redeamus, quid mirum si spiritus sanctus aliquando in reprobos ueniat, quum & filius eiusdem cum eo naturæ atque potentiæ impiorum se manibus tradidit, & non solum se eorum uerberibus affici, sed & inferri sibi mortis atrocia non contempsit.

Sapien.

Ioan. 11.

Gala. 2.

QVOD DONVM DEI NVLLA ministrorum contagione polluitur.

CAP. XI.

SI enim uisibilis solis huius radius nullas caliginosę cuiuslibet scrobis tenebras patitur, nullis cloacarum sordibus inquinatur, quid mirum, si summus et incircũscriptus spiritus tenebrosa uel sordida quorundam pectora suo splendore perstringat, ipse tamen nihilominus in sua pudicitia & puritate permaneat? Cuiuscunque ergo criminis reus extiterit ille, qui consecrat, nimirum siue superbus, siue luxuriosus, siue homicida, siue etiam simoniacus, ipse quidẽ pollutus est, & lętali proculdubio lepra perfusus, sed donum dei, quod per illum transit, nullius tabe polluitur, nullius contagione fedatur. Purum namq; est quod per illum transit, mundum & liquidum ad terram fertilem transit. Sancta namq; ecclesia hortus delitiarum & spiritalis est paradisus, charismatum uidelicet supernorum fluentis irriguus. Ponamus ergo, ut mali sacerdotes quodammodo lapidei sint canales. In lapideis autem canalibus aqua nil germinat, donec per eos decurrens in fœcundas se areolas fundat. Licet enim plures reprobos sacerdotes seriatim tempora attulerint, uidelicet ut consecrantes & consecrati æquẽ reperiantur indigni, fons tamẽ ille uiuus non restringitur, quominus usq; dum in hoc seculo permanemus ecclesiæ profluat, unde non solus ille sacerdotalis ordo, sed & omnes in Christo renati, salutis suæ poculum hauriant. Per sacerdotes siquidem baptismus & charisma tribuuntur, & omne

1. quæst. 1 r. Cnifsio-nem.

eccle-

ecclesiastici sacramenti mysterium exhibetur. Si igitur sacerdotum prauitas diuina posset dona reprimere, illis certe præuaricantibus, necesse erat totum genus humanum à diuinis beneficijs resilire. Quod si illis stantibus homines munera superna susciperent, labentibus autem nullatenus impetrarent, necessario iam non deo, sed sacerdotibus utiq; causam atq; omnem uim propriæ salutis ascriberent. Sed absit ut mihi obesse ualeat malus minister, ubi proculdubio bonus est dominus, aut maliciosus præco, ubi beneuolus est iudex. Non enim exhorret columba, non nauseat sordentium quorumlibet ministerium, dum in quem tota descendit, solus consecrationis teneat principatum. Per hoc enim unitas ecclesiæ stat, quia Christus apud se consecrandi uirtutem tenuit, & in neminem ministrorum cõsecrationum iura transfudit. Nam si cõsecratio ex sacerdotis merito uel uirtute procederet, ad Christum profecto nullatenus pertineret. Sed quamuis pontifex manus imponat, & benedictionis uerba per iniunctum sibi ministerium proferat. Christus est certe qui consecrat, & arcana maiestatis suæ uirtute sanctificat. Hinc est quod Moysi uoce diuina præcipitur. Loquere Aaron, & filijs eius. Sic bñdicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus & custodiat te, & ostẽdat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Moxq; subiungitur: Inuocabunt, inquit, nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Sacerdotum ergo est diuinum nomẽ super eos qui consecrandi sunt inuocare, sed ipsius dei est propriũ interius benedicere. Ministris plane exte-

Num. 6.

Ibid.

rior consecrationis ordo tribuitur, sed soli domino ipsius consecrationis efficatia reseruatur. Vnde est quod ipse dixit in Exodo: Ego dominus qui sanctifico uos. Si igitur dñs est qui sanctificat, cur timendũ, ne plectibilis cuiusq; serui reatus obsistat?

Exod. 31. Leui 20.

QVOD SIVE VERBI SIVE SAcramenti minister dei donis non possit subsistere. CAP. XII.

Phi. 1.

Conqueritur autem Apostolus quia quidam falsi fratres propter contentionẽ & inuidiam Christum prædicarent non syncere. Sed quid ad hęc ille? nunquid prohibendos esse decernit? Audi ergo quod sequitur. Quid enim inquit? Dum omnimodo siue per occasionẽ siue per charitatẽ Christus annunciatur & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Porro aũt habet Christus ministros uerbi, inter ministros nihilominus sacramenti, utriusq; profecto muneris, alios fideles & bonos, alios nequã & perfidos. Sed neq; à bonis melius, neq; à malis accipitur peius. Ministri siquidem sunt diuersi, sed unum est utiq; quod præbetur. Bonus plane est autor munerum, & quod dat nullas contrahit maculas ex obsequio ministrorũ. Pura fluit uena, & superfluo leprosa manus propinantis adtenditur, ubi clarum atq; perspicuum est quod hauritur. Quid enim ad monumentum rei siue bonus siue malus sit qui ministrat, dummodo unus idemq; semper sit, qui siue uerbi siue sacramẽti principalis autor extitit? In exhibendis sane miraculorũ signis uel prophetiæ oraculis, siue etiam in habẽdis uirtutibus piæ religionis gratia spiritus sancti minuitur uel augetur, sicut à magistro Helisęus petijt di-

Ibid.

censa

cens: Peto, inquit, ut fiat duplex spiritus tuus in me. 4. reg. 2.
Quæ nimirum petitio in Helisei miraculis impleta fuisse dinoscitur, in quibus certe & maior uirtus q̃ in Heliæ signis & duplex numerus inuenitur. Quod qui eorũ historias studiose considerat, non ignorat. At non in officiorum gradibus fit ista diuersitas. Neq; enim alius alio magis est presbyter, siue diaconus, uel 1. quæ. 1.
quilibet horum. Illic plane fides atq; deuotio postulan Intra.
tis adtenditur, hic solũmodo ecclesiasticę institutiõis ordo seruatur. Audiamus qd de malis prædicatoribus Mat. 23.
dñs dicit: Super cathedrã, inquit, Moysi sederũt scribæ & pharisæi, omnia quęcunq; uobis dixerint, seruate & facite, secundum uero opera eorum nolite facere. Si ergo sacerdotis cuiuslibet prauitas nõ præiudicat uerbo quod per illũ prędicatur, quo pacto obesse ualet sacramẽto quod nõ homine, sed deo autore tribuitur? Vterq; nimirum & is qui prędicat, & ille qui cõsecrat ministrator est, nõ donator. Vnde fit plærunq; ut una quidem sit doctoris lingua, sed nõ uno modo apud auditorum mentes eius fructificẽt uerba, dum alterius cor uelut glaciali frigore torpeat, alterius uero spiritus audito mox uerbo diuini amoris igne ferueſcat. Vnde ergo fit q̃d uerba quæ ex uno ore prodeunt, multorũq; aures uniformiter feriũt, non uno modo ad cordiũ arcana pertingunt, nisi quia alius est qui extrinsecus ex officio linguę ministrat, alius q propria uirtute uoces prædicãtis p interiora dispẽsat? Siue ergo in erogãdis doctrinę uerbis, siue in ecclesiasticis ordinibus cõferendis, nequaq̃ sacerdos suis uirtutibus utitur, sed solum exequitur iniunctæ administrationis officiũ quo potitur. Alioquin si ex merito sacerdotis ista procederent, omnem profecto fidem diuinæ gratiæ uacuarent.

QVOD DE SPIRITV SVO NON ipse Moyses, sed Deus dedit septuaginta uiris. CAP. XIII.

NEque enim homo dat quod diuinum est. Sed qui malis bene utitur unus est deus, qui siue per bonos, siue etiã per malos solus dona largitur, atq; ideo diuinæ gratiæ donum neque ex malorum ministratione minuitur, neque per bonorum executionem prorsus augetur. Quod nimirum manifeste cognoscitur, si ille sacræ tenor historiæ ad memoriã
Num. 11. reuocetur. Dixit enim dominus Moysi: Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostiũ tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis. Vbi notandum, quod non ait, auferes de spiritu tuo, tradesq; eis, sed potius auferam de spiritu tuo, & tradam, ut profecto ostenderet: quia non homo homini spiritum sanctum tradit, sed solus ipse est, qui prout uult, gratiæ suæ dona
Ibid. distribuit. Vnde paulo post subditur: descenditq; dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta uiris. De spiritu autem Moysi uiris dedisse dominus dicitur, ut ordinatores & ordinatos unum debere spiritum habere perspicue doceatur, quatenus rectores ecclesiæ nequaquam inter se diuersa sentiant, unde schismata quod absit aut hæreses pestilenter emergant, sed unum omnes concorditer doceant atq; in unitate spiritus unanimiter uiuant. Porro autem sicut

cut septuaginta illi quos dominus per Apostolos or dinauit, totidemq́ue fere isti quos cum Moyse susten- Luc. 10.
tare onus populi uoluit typum prætēdebant presbyterorum, ita nihilominus Moyses primum & post Apostoli, dignitatem euidenter obtinuerunt pontificū. Et sicut neque illi ab Apostolis, neque isti à Moyse spiritum sanctum accipere potuerunt, sic etiam de episcopis cæterisq́ue ecclesiasticæ dignitatis ministris proculdubio sentiendum est. Nimirum quia unus omnipotens deus qui eos per diuersos ordinum gradus moderaminis sui dispensatione distinxit, solus etiam prout nouit spiritus sui gratiā in unūquemque diffudit. Neque enim in illa spiritus datione aliud sibi Moyses arrogare priuilegium potuit, quàm quod illi uox diuina præcepit, nimirum ut uiros eligeret, eosq́ue ducens ad tabernaculi ostium cum eis staret. Hæc est summa operis Moysi. Quid ergo suæ uirtutis in hoc dei munere Moyses recognoscere potu- Num. 11.
it, cum insuper & duo ex his qui descripti fuerant, scriptura testante, in castris positi ad tabernaculum non uenerunt, & tamen eo nesciente æque ut cæteri spiritū perceperunt? In eo sane quod de spiritu Moysi tollere dicitur atque alijs dare, nullum Moyses dispendium sui spiritus pertulisse credendus est, uelut si ab ardente lucerna lumen quælibet materia mutuetur, nullo propter hoc lucerna proprij splendoris detrimento minuitur.

QVOD HI QVI CONSECRANdi accedunt iam habeant spiritum sanctum. CAP. XIIII.

Enimuero ad instar septem donorum spiritus sancti, septem nihilominus sunt ordines eccle-

siasticæ dignitatis. Quod autem his omnibus gradibus adhuc & alij preferūtur, uidelicet ut sunt patriarchę, archiepiscopi, & episcopi, ab his non tam nouus ordo suscipi, q̃ in eodem ipsi sacerdotio uidentur excellentius sublimari. Nam cum sacerdos idcirco dicatur, quia sacrū det, hoc est, quia deo sacrificiū offerat, quid in ecclesia sublimius, quid eminentius sacerdotio poterit inueniri, per quem uidelicet mysteriū dominici corporis & sanguinis probatur offerri? Licet igitur illi quibusdam priuilegijs pro suo quisq; ministerio specialiter potiantur, quia tamen id quod omnibus maius est cōmune cum reliquis sacerdotibus habent, cum eis etiam & ipsi nō immerito sacerdotij nomen tenent. Ad hos nempe gradus cum ministri ecclesiæ prouehuntur, nō ita credendi sunt sanctum spiritū nouiter ac repente suscipere, ut ipos, tanq̃ eotenus uacuos ille supernus habitator tūc primum incipiat uisitare, sed hoc potius modo, ut quos iam inhabitat, per ampliorē gratiam ad altioris quoq; gradus incremēta perducat. Alioquin quomodo quis in subeundis honoribus nouiter illū posset accipere, cum & ipsi gradus per morosa temporum interualla regulariter conferantur, & baptismus cum primitiæ spiritus ascribūtur, longe prius susceptus fuisse uideatur? Nam & in Apostolis eadem nō ambigitur fuisse seruata discretio, uidelicet ut spiritum sanctum, quē iam habebant, rursus acciperēt, & de gratia ad gratiam suis aucti profectibus aspirarent. Saluo plane mysterio, quod diuina prouidētia primitus occulte in eorum cordibus intelligitur operata, bis manifesto munere spiritum sanctum suscepisse leguntur, primo scilicet tunc quum dominus insuffla-

21. dist. Cleros.

75. distinca. Ordinationes.

insufflauit & dixit: Accipite spiritum sanctum, secū-
do cum super eos spiritus sanctus in figura linguarū Ioan. 20.
& ignis apparuit. Veruntamen & ante hæc tam per Matth. 3.
spicuę donationis indicia, inter ipsa uidelicet uoca-
tionis nouæ primordia diuinitus inspirati fuisse no-
scuntur. Nam quomodo possent cuncta quæ corpo
raliter intuebātur abijcere, ac sub unius uocis impe-
rio ad inuisibilia festinare, nisi iam interioribus eorū
oculis gratia spiritus sancti infulsisset. Vnde & Pau
lus ait: Qui spiritū Christi nō habet, hic non est eius.
Quę nimirū apostolica sententia licet necdum fuerit Rom. 8.
scripta, iam tamē erat uera. Nequaq̄ ergo ut Christi
essent, Christi se discipulatui tradidissent, si iam spūs
eius primitias nō haberēt. Munus itaq; diuinæ largi
tatis quod iā suis fidelibus dederat, iterū atq; iterum
dedit, ut frigida & arentia corda suū munus iteran
do & feruentius accēderet, & affluentius inundaret.
Sic nimirū, sic humana natura, quę longo fuerat no-
xiæ uetustatis squalore cōsumpta, ad florē nouę uitę
quibusdā erat incremētorum passibus reformanda.
Si ergo secundū ea, quę superius cōprehensa sunt nō
modo in inferiori quolibet gradu quis cōstitui, sed
ne baptizari quidem sine spū sancto potuit, quisquis
ad officiū sacerdotale prouehit, nō nouiter spm san-
sed eius utiq; quē iā habet suscipit incrementū. Sicut
enī una anima per omnia corporis membra diffun
ditur, sic uno dei spiritu sancto uniuersalis ecclesia
uegetatur. Vnde & Paul. Corinthijs dicit: Sicut enim 1. Cor. 12.
unum corpus est & membra habet multa, omia aūt
mēbra corporis cum sint multa, unū corpus sunt, ita
& Christus. Etenī in uno spū oēs nos unū corpus ba
ptizati sumus. At uero aīa una omia quidē membra
uiuificat,

uiuificat, sed non unam eandemq; uim membris o-
mnibus administrat. Quibusdam nempe quasi qua-
dam prærogatiua concedit, quod alijs non imperti
tur. Nam quum cætera membra per eam commu-
niter uiuant, oculus ab ea specialiter accipit non so-
lum ut uiuat, sed etiam ut uideat, auris ut audiat, cor
ut sapiat, naris ut olfaciat, lingua ut loquatur. Cūq;
eadem anima nullatenus sit diuersa, tamen singulis
membris diuersa iniungit officia. Sic enim spiritus
sanctus dum uniuersis in Christo renatis fidem tri
Aba.2 buit, quasi uitam cunctis ecclesiæ membris infun-
Hebr.10 dit, sicut diuina uoce dicitur: Iustus autem meus ex
fide uiuit. Cum uero nonnullos ad ecclesiasticæ di-
gnitatis ministeria prouehit, uelut quibusdam supe
rioribus membris specialia dona concessit. Pręterea
utrū siue sint oculi, siue sint aures, siue etiam nares,
anima non discernit, sed siue honesta, siue fœda sint,
hæc proprij iuris officiū cuiq; distribuit, ut quodam-
modo non magnipendere uideatur, cuiusmodi sint
ipsa membra, sed loca potius, in quibus sunt natura-
liter constituta, ita quoque spiritus sanctus ad con-
ferendum spiritualis gratiæ sacramentum, nō tam
uitæ meritum, quàm iniuncti gradus adtendit offi-
cium, ut non magnopere ad momentum rei huius
attineat, quod ecclesiæ membra deformiter sint ho-
nesteue composita, sed id potius, ubi sint posita,
& à nobis non tam merita sint consideranda, quàm
1.Cor.12. loca, præsertim quum Apostolus dicat: Posuit deus
membra unūquodq; eorum in corpore sicut uoluit.
Sed sæpe contingit, ut membra ipsa quibus potiora
sensuum prærogantur officia deformitati reperian-
tur obnoxia, cum cætera scilicet conspicua sint ue-
nustate

nustate decora, quæ nimirum illorum officijs communi simul utilitate participant, quum tamen in se nullum prorsus næuum eorum deformitatis admittant. Vnde & idem Paulus apostolus dicit: Quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent. Ita profecto clerici quod specialiter habent, non magis sibi quàm usui totius ecclesiæ communiter debent. Sicq; fit, ut si indigni sunt, & priuilegium quo præferuntur, alijs debeant, & reatus quo premũtur, iudicium non euadant. Nam si pro se tantummodo ministerium sacerdotale susciperent, nõ ab re homines de illorum meritis disputarent. Sed quoniam pro communi omnium salute gratia illa tribuitur, non attendendum est qualibus datur, sed pro quibus datur. Porro autem ueritas dicit: Ego sum uitis, uos palmites. Ex hac uite diuersi prodeũt palmites, alij quidem aliquando præcidendi, alij germinandis fructibus perpetuo reseruandi. Sed qui præcidendi sunt quamdiu falx euangelica uel canonica nõ accesserit, quicquid affertur à bonorum palmitum fructibus non secernitur, sed indifferenter habetur.

Ibid.

Ioan. 15

QVOD SAEPE SINISTRA principia ad fideles proueniunt exitus. CAP. XV.

QVid denique officiat simoniacus si ordinandis manus imponat, quum neque id quod habetur auferre, neq; quod diuinitus augeatur pręualet inhibere? Illud siquidem cœlestis gratiæ munus non de marsupio extrinsecus satagentis, sed de

thesauris profertur inuisibiliter præsidentis. Nam & si sit fur ille qui seminat, terra tamen, autore deo, uires germinandis frugibus administrat. Licet sordida sit manus aut leprosa quæ plantat, mundus certe fructus decerpitur, quum ad maturitatem plenitudinis peruenerit. Ex adulterino sæpe cõiugio pulchra soboles nascitur, & obscœna uoluptate parentum, spectabilis oritur species liberorum. Alios filios Iacob ex legitimis uxoribus genuit, alios ex cõcubinarum seruili conditione suscepit. At cum ad capessendam hæreditatem utriq; perueniunt, parili inter se distribuendarum sortium iure ceduntur. Phares de Theristrata & exposita in biuio nascitur, sed minimus inter Israheliticarum cognationum principes inuenitur. Salomon ex ea quæ fuit Vriæ, cognoscitur habuisse principium, qui tamẽ regalis sceptri dignitate sublimatus, in dominicæ genealogiæ catalogo meruit numerari. Et quid alios memorẽ? quandoquidem & ipse mediator dei & hominum de peccatoribus originem duxit, & de fermentata massa synceritatis animα absque ulla uetustatis infectione suscepit, imò ut expressius dicam ex ipsa carne uirginis de peccato concepta, caro sine peccato prodijt, quæ ultro etiã carnis faciat in spiritu q uiuificat. Quod agere probatur etiam in carne quæ non prodest quicquam. Qui enim facit, ut sinistra principia ad faustos proueniant exitus, & hoc in rebus utique terrenis, quomodo credendus est id ipsum propensiori dispensatione non agere in spiritualibus sacramentis? Nimirum qui præcipit fru-

Gen. 30. Gen. 38. 2. reg. 12. 1. Paral. 5. Mat. 1. Ioan. 6.

ctus sordidi plantatoris nescire contagium, cur etiam iubere negetur ab his qui consecrantur omnis scelerati consecratoris prorsus abesse reatum? Qui manzeres cum legitimis ancillarum filios cum hæribus in consortium uelut hercifcundæ hæreditatis asciuit, nec aliqua eos ab alijs inæqualitate discreuit, quid mirum, si & eos qui à prauis sacerdotibus sunt promoti, cum his simul qui à bonis ordinati sunt parili faciat sacerdotalis officij dignitate potiri? Quod plane nequaquam fit per meritum consecrantis, sed per uerbum potius dei uiui & permanentis. Verbo denique dei patris dictum est, germinet terra herbam uirentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Et ecce hoc uerbum ita hodie permanet illibatum, ut nequaquam diuersitate agricolarum mutetur prouentus fructuum, sed iuxta genus suum uniuscuiusque generis proprium semen in herbis, proprium reperiatur in pomis. Quod profecto semen rursum terræ committitur, & post modum non diuersum, sed iuxta sui generis speciem reparatur. Si ergo ex uerbi uirtute diuini terra quod accipit, ad eandem similitudinem reddit, quid mirum, si sacerdotalis illa benedictio (quæ tanquam semen in accidentis animam iacitur) sacerdotum per afflatum sancti spiritus inuisibiliter operetur? Atque ideo non iam seminantis imago digne requiratur in fructu, sed sola, ut ita dixerim, seminis similitudo procedat. Dixit etiam animalibus DEVS: Crescite & multiplica-

Extra de renuncia. ca. Nisi cũ pridẽ. para. perso-næ, & C. de sena-tuscõsult. orfi. siqua para. ulti.

mini. Ex cuius uidelicet efficacia uerbi cuncta us-
Ibid. que nunc creantur animantia, non certe principa-
liter noua, sed ex eodem originali semine per tra-
ducem propagata. Quum igitur uerba illa quæ ni-
mirum semel prolata sunt tam immobiliter uigent,
quid ex illis sacerdotalium benedictionum uerbis
est sentiendum, quæ sacra prorsus atque diuina id-
circo semper in promouendis exterius repetuntur,
ut ministerium interius operetur? Nam quum in-
cantatorum uerbis inesse tanta uirtus asseritur, ut
eis tanquam lapidibus iniectis serpens percussa fran
gatur, quid mirum, si sacerdotalis benedictio sacra-
mentum in se uirtutis diuinæ contineat, unde ille sa
cerdos qui admotus est, fiat? Nunquid enim maio-
ris uirtutis sunt incantatoria uerba, q̃ illa efficacia
prorsus & mystica ac diuini nominis inuocatione
consecrata?

QVOD PER SIMONIACVM spiritum sanctum dari baptizãdo posse, consecrando non posse ratio non admittat.

CAP. XVI.

ILLud sane mirandum, cur tanta stoliditate desipi-
ant, quod simoniacos baptizare efficaciter posse,
consecrare autem nullatenus posse impudenter
affirmant. Et quanquam ex hoc iam superius sit
breuiter disputatum, non ab re uidetur, adhuc enu-
cleatius disserendum. Ponamus igitur in medio si-
moniacum baptizantem, eundem quoque nihil-
ominus consecrantem, & discernamus si possu-
mus

mus quur baptiſmus per eum traditus ualeat, quur conſecratio in irritum cedat, ac ſicut dicitur ueri ſacramenti uires amittat. Ecce is qui baptizat poſt prima fidei rudimenta quæ cathecuminum docuit iuxta eccleſiaſticæ inſtitutionis morem mox ſuper eũ orationes dicit, quę uidelicet in hoc ipſum ſacerdotali ſunt autoritate compoſitæ, ſicq́ꝫ per exorciſmi gratiam malignum hoſtem qui eotenus in eo tyrannidem exercebat, expellit, & ſpiritum paracletum inuocando pijs in eum precibus introducit. Sed quid aliud conſecrator agit, quàm quod orationes nihilo minus dicendo canonicas eũdem ſpiritum ſanctum ſuper eum qui promouehitur, inuocat, atque ut in eum deſcendere dignetur, exorat. Niſi quod maius eſt, quod per baptizantem agitur, quàm id ſit, quod per conſecratoris officium exhibetur? Plus eſt em̃ ſpiritũ ſanctum in eum in quo nondum fuerat noua dignatione deſcendere, quàm eum cui per fidem iam uenerat ad ſuperioris gradus ordinem promouere. Per cathezizantis namque ſiue baptizantis officium & ſpiritus immundus expellitur, & in nouo homine aduenienti Deo habitaculum præparatur, ſicut uidelicet eiuſdem exorciſmi uerba teſtantur, quibus per adiurationis imperium ad iniquum ſpiritum dicitur. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium dei. In conſecrationibus autem non malum quod iam deletum & abeſſe credebatur, expellitur, ſed bonum quod collatum fuerat per cumulum gratiæ plenioris augetur. Credendum ne eſt ergo, ut unus idemq́ꝫ homo & quod maius eſt agere, & quod minus eſt, non poſſit implere? At fortaſſis econtrario dicitur, quia nonnulla uiden-

De cõſe. di. 4. c. Si ue cũ ca. ſequentibus.

tur inesse illi initiandæ fidei rudimentis, quæ nequaquam adhibentur consecrationis peragēdæ mysteriis, ut uidelicet sal quod in neophyti os mittitur, aqua cui baptizandus immergitur, chrisma etiam quo linitur. Sed hæc quidem per se considerata, nuda sunt elementa, nihilque noscuntur habere mysticæ dignitatis arcanum, ad orationem autem sacerdotis & inuocationem diuini nominis, uirtutis intimæ concipiunt sacramentum. Non ergo in rebus materialibus atque terrenis, sed in precibus sacerdotum, & inuocatione diuinitatis siue consecrandi, siue baptizandi sacramenta consistunt, quanquam & in consecrationibus sacerdotum sanctificatum oleum uideatur nihilominus adhiberi. Quum ergo unus idemque uidelicet simoniacus utrobique canonicarum orationum ordinem expleat, utrobique nomen diuinitatis regulariter inuocet, quomodo in sacerdotali promotione non detur, non rationis penetrat sensus, nec humanus discernit intuitus. Sed dicitur econtra: quia simoniacus quod non habet, non potest dare. Age ergo quid est, quod in faciem cathecumini sacerdos insufflat dicens: Exi ab eo immunde spiritus satana, da honorem deo uiuo & uero, da honorem spiritui sancto? Quibus utique uerbis patenter ostenditur: quia per illam hominis insufflationē arcano nimirum diuinę uirtutis agēte mysterio & spūs malus expellit, & spūs sanctus introire dignatur. Quod nimirū totū si ita per insufflationē nihilominus simoniaci, sicut & per boni sacerdotis impletur officium, quur quod in uno sacramento posse conceditur, posse etiam consequenter in altero denegetur? Nam & baptismus (quod absit) si uenali

ter præbeatur, tametsi sacris canonibus sit uehementer aduersum, nequaquam credendum est plene atque perfecte regeneratiōis dehabuisse mysterium, ideoque is qui baptismum sub hac pecuniæ præstitione suscepit, nec digne rebaptizandus asseritur. nec expers diuini muneris iudicatur. Quod si ad tantæ peruicatiæ prorumpatur insaniam, ut simoniacorum etiam baptismus irritus iudicetur, hic nostra fatigetur instantia, sed generaliter occurrat omnis catholicæ fidei disciplina, & uniuersalis aduersus eū armetur ecclesia, qui nimirum omnia sanctorum patrum conuellere nititur instituta. 1. quæst. 1 Baptizādis.

QVOD ATTENDENDVM sit, quid sumatur, non unde sumatur.

CAP. XVII.

AT fortassis illud obijcitur, quod beatus papa Gregorius de simoniacorum damnatione testatur dicens: Benedictio, inquit, illi in maledictionem uertitur, qui ad hoc promouetur, ut hæreticus fiat. Probamus nempe sententiam, nec ab ea fas ducimus dissentire. Ille siquidem maledictus, ille hæreticus, qui male quod bonum erat accepit. Quod acceptum est autem, in se quidem bonum est, sed accipienti factum est malum. Nam & buccella illa uidelicet Iudæ porrecta, nō de bona facta est mala, sed illi factum est malum, quod bonum non bene (quia indigne) suscepit. Atque ideo si eandem buccellam IVDAS alij tradidisset, nullam sacrum munus 1. quæ. ca. Benedictio. Ioan. 13

in se maculam ex dantis culpa contrahere, nullum necesse fuerat in accipiẽtem contagium redundare. Hodieq́ etiam si de sacro altari dominicum corpus quilibet indign⁹ accipiat, & alij contradat, mũdum est procuidubio quod accipitur, nec diuinæ gratiæ munus sordentis ministri labe fœdatur, & licet prauus quisque iudicium sibi manducet & bibat, illud
1.Cor.11. tamen quod manducatur & bibitur, gratia dei est. Gratia enim gustauit mortem, quod est humanitas
Tit.1. Christi. Omnia siquidem munda mundis, contaminatis autem & immundis nihil est mundum. Si ergo quod mundum est idipsum contaminatis est immundum, fatendum est quia scilicet sacerdotium quod bono causa spiritualis est dignitatis, simoniaco factũ est materia damnationis, ut unde fit iste sacerdos catholicus, inde ille ueraciter asseratur hereticus. Nec mirum hoc in spiritualibus fieri, quum & in rebus corporeis facile eadem diuersitas possit inueniri. Sæpe enim cibus qui alterum uegetat, alterum grauat, & ex eiusdem curæ medicinalis antidoto alius interit, alius cõualescit. Porro unus est ignis quo simul & cera liquatur, & terra siccatur, & eadem candela quæ igne consumitur, accedentes utiliter illustrantur, lumenq́ quod ad suum præbet interitum inter tenebras uidendi nobis factum est instrumentum. Quid ergo mea interest, quod cãdela in cineres uertitur, dummodo lumẽ quod ab ea mutuatus sum mihi indeficiens perseueret? Ardeat ardeat simoniacus, unde catholicus illustratur, & eodem lumine quod alijs ministrat, ipse ad defectus sui tenebras tendat, quatinus quod ardet, intereat, & quod illuminatum est, uiuat. Sacerdotium quippe lumen

lumen quærentibus est, æstu uero ambientis ignis ardentibus incendium. Quod ergo alter possidet ad propriæ defectionis interitum, alter accipit ad salutis augendæ prouectum. Sampson nempe de ore mortui leonis fauum mellis eduxit, & ex arenti mandibula asini aquis se profluentibus satiauit. Sed nec aselli in aqua desidiam, nec beluinã gustauit in melle ferociam. Vtrobiq; nimirum quod sumptum est, iuxta proprietatem suam in ore sapuit, unde sumptum fuerit, magnopere non discreuit. Quid etiam mirum, si quod fieri in aqua baptismatis cernimus, non dissimile quid fieri de simoniacis arbitremur? Per eam nẽpe nos noui in Christo renascimur, cum eadem aqua post expletum opus in cloacam despicabiliter effundatur. Iudi. 14.

QVOD NEC NOVATIANI DEponendi, nec Arriani denuo sint baptizandi.

CAP. XVIII.

SED iam sacros canones quo uacat compendio perscrutemur. Et licet manifeste propositæ quæstionis crebro non reperiatur inesse sententia, quid tenendum sit quibusdam rerum collationibus approbemus. Nouimus namque Niceno statutum esse concilio ut Cathari qui ad catholicã reuertũtur ecclesiam impositionem manus solummodo accipientes, in suis recipiantur ordinibus. Cur hoc? Nisi quia illud hæreticorum genus in catholicæ fidei integritate persisteret, licet in quibusdam aliis superstitio- Capitu. 8 & 1. quæ. 7. Si qui uoluerint & Euseb. li. 10. ca. 6 hist. ecclesiasticæ.

 nibus

nibus aberraret? Notandũ namq; est, q̃d Nouatianus cuius hi sequebãtur errorem dogmatizauerat, neq; bigamis cõmunicare, neq; in psecutione lapsis etiã post pœnitẽtiã oportere. Si ergo & hi, q ab his hereticis sunt ordinati, nequaq̃ sunt suo honore priuandi, ob id scilicet, quod eorum consecratores in fide non titubant, quid de simoniacorum ordinationibus sentiendum, qui omnia fere institutionis ecclesiasticæ iura cõseruant? At fortassis obijcitur, quod simoniaci nequaquam sint in fide perfecti, nimirum peccantes in spiritũm sanctum, quem pecunijs arbitrantur coemendum. Ad quod facile respondemus: quia si hæc districtæ censuræ subtilitas teneatur, etiam in Nouatianis contra spiritũ sanctum quodammodo culpa perfidiæ reperitur. Nam quum per spiritum, qui est remissio peccatorum uenia pœnitentibus concedatur, constat proculdubio quod contra spiritum sanctum pugnat, qui lapsis post pœnitentiam non communicat. Sed aliud est in fide peccare, aliud à fide recedere. Aliter nempe redarguendus est miles, q in bellicis fluctibus eneruiter cedit, aliter ille plectendus, qui abiuratis militiæ sacramẽtis ad hostium castra dedititius transfugit. Non eadem seruo pœna debetur, qui in domesticis rebus sub domini sui peccat imperio, & illi qui iugum seruitutis excussit, ac ius externæ dominationis elegit. Licet enim isti in regula fidei ex aliquo uideantur offendere, non tamen eotenus ut spiritum sanctum arguendi sint hæretica prauitate negare, atque ideo cum reuertuntur, quanquam peccauerunt, manus illis imponitur, quia uero minime negauerunt, sacerdotalis gradus officio non priuantur. At contrà Ar-

Nouatiani error.

1. quæ. 7. ca. Si qui.

riani

riani, qui aduersus spiritus dei diuinitatem manifesta prorsus impietate cõfligunt, ad catholicam ecclesiam redeuntes, in male accepti ordinis dignitate persistere non possunt. Credunt enim sicut sacrilega eorum professio manifestat, quod pater creator sit, filius creatura, spiritum uero sanctum creaturam creaturæ damnabiliter asseuerant. Quia igitur uirtutem spiritus sancti in fide non habent, qua uidelicet omnis ecclesiasticæ dignitatis ordo perficitur, apud eos ordinatio facta, canonicis sanctionibus irrita iudicatur. Sed non ab re fieri credimus, si quid de his in suis decretis Innocentius papa reliquerit, hoc etiam sub iisdem literis inseramus. Arrianos, inquit, cæterasq; huiusmodi pestes detestamur: quia eorum laicos conuersos ad dominum sub imagine pœnitentiæ ac spiritus sancti sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non uidentur clerici eorum cum sacerdotii aut cuiuspiam ministerii suscipiendi dignitate esse, quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus (qui utique in nomine patris & filii & spiritus sancti percipitur) nec spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque ministeriis arbitramur, quoniam quum à catholica fide eorum autores discederent, etiam perfectionem spiritus quam acceperant, amiserũt, nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, qui per impietatis suæ perfidiam fidem domini perdiderũt, propter quod fieri non potest, ut eorum prophanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorũ laicos impfectos (ut dixi) ad sancti spũs percipiendã gratiã cũ pœnitẽtię imagine recepimus. In

Arriani error.

1. quæ. 1 ca. Arrianos.

In quibus nimirum decretalibus uerbis manifeste datur intelligi, quia in promotionibus clericorum non immerito fides ordinantis adtenditur, ex qua uidelicet pendet ut ordinatio ipsa siue rata siue irrita iudicetur. Quod enim tenet ordinator in fide, accipit ordinatus in munere. Enimuero si Arrianis recta fides inesset, etiam si eos cuiuslibet diuersę prauitatis error inuolueret, facta apud eos consecratio non periret. Vbi notandum, quanta inchoationi diuini nominis reuerentia debeatur, quum & ab eis baptizati quos tam perfida, ut ita dixerim, fides damnat, rebaptizari tamen omnino non audent. Nam quia autores eorum ut dicitur, fidem rectam non habuerunt, ad percipiendam spiritus gratiam manus illis imponitur, quia uero in aqua sunt sub inuocatione sanctæ trinitatis immersi, non sunt denuo baptizandi. Quum itaque sola sine fide uerba sub hæretica Arrianorum superstitione prolata nō audent irrita iudicare, quo pacto simoniacorū consecratio robur non habeat, in qua cum fide & cętera obseruantiæ regularis sacramenta concordant?

QVOD CONSECRATIONIS effectus fidei utitur fundamento.

CAP. XIX.

Lege Augustinum cōtra Cresconium grāmaticū li. 2. ca. 9. & in cō

DE Donatistis quoque nouimus Carthaginensi concilio fuisse concessum, ut quum ad unitatem catholicam quilibet eorum redire disponeret, si hoc paci Christianæ prodesse uideretur, cum suo reciperetur honore. Sicut autem in generali hæreseon enumeratione didicimus, Donatistę non admodum

modum fidei errore traducti, sed irati potius, quia Cecilianus quidam contra eorum uotum in Carthaginensi inthronizatus sit sede, schisma fecerunt, & ab ecclesiastica cõmunione præcisi sunt. Et quanquam certum sit, quod spiritum sanctum nisi intra sanctam ecclesiam catholicam nemo possit accipere, apud eos tamen quilibet ordinatus, si paci hoc cõsulat, non priuatur honore qui perseuerat in fide. Quum ergo Donatista qui proculdubio scismaticus est, & dono sancti spiritus probatur alienus, in percepti honoris ordine ualeat aliquoties permanere, luce clarius constat, quia consecratio non ordinati uel ordinatoris est meritum, sed ad utriusque potius fidem totum respicit sacramentum. Alias siue Donatista Donatistam, siue Nouatianus Nouatianum ad clericatus iura promoueat, quæ est in utrolibet dignitas meritorum, ut gratiæ diuinæ mysterium uel ille dare, uel iste possit accipere? Sed inter malum & malum dantem uidelicet & accipientem bonũ uersatur in medio, quod ne utrius uicio à sua nouit generositate deterreri. Nimirum leprosus leproso præbet aurum, quod profecto rutilat nulla scabrosarum manuum uarietate perfusum. Si cæcus cæco lucernam porrigit, lux cæcitatem nesciens baiulorum manui tenebras non admittit. Quapropter si recta fides adsit, uidelicet ut in patrẽ & filium & spiritum sanctum recte credatur, indigni etiam cuiuslibet sacerdotis consecratio indifferenter impletur, nec propter indigne ministrantis meritum, diuinæ gratiæ munus perfectionis suæ detrimentum patitur. Vnde prædictus papa Innocentius quum de duabus hæresibus Paulianistis uidelicet & Nouatianis

cilio Aplicano cap.35.

1. qua. 1. Paulianistæ.

tianis communiter disputaret, cur à Paulianistis uenientes baptizandos esse decerneret, à Nouatianis autem funditus prohiberet, causam his reddidit dicens: quia Paulianistæ, inquit, in nomine patris & filij & spiritus sancti minime baptizant, & Nouatiani eisdem nominibus tremēdis baptizant, nec apud istos de unitate potestatis diuinæ, hoc est, patris & filij & spiritus sancti quæstio aliquando mota est. Et ideo de omnibus segregatis hæc sola electa est, cui istud credere cōcedendum, quia nihil in patris & filij & spiritus sancti sacramento peccarent. Hæc itaq; uenerabilis Innocentij uerba ita diffinita sunt atque perspicua, ut omnem nostris mentibus scrupulum auferant, nodumq; propositæ quæstionis indubitanter absoluant. Si autem per Paulianistas sacramentum idcirco dari non potest: quia fidem sanctæ trinitatis non habent, per Nouatianos autem ideo potest: quia licet aliotenus hæretici sint, orthodoxæ tamen fidei plenitudinem tenent, cōstat profecto, quia si fides stat, consecratio robur obtineat, nec actionis labefactatur uicio, quæ fidei nutritur fundamento.

QVOD MALE ORDINATI EPIscopi consecrationis gratiam aliis, non sibi habeant. CAP. XX.

ESto igitur, concedamus uel potius asseramus, ut simoniacus sit hæreticus. Nouatianus hæreticus, & Donatista similiter hæreticus. Sed simoniacus in spiritum sanctum peccat: quia donum dei comparat, & Nouatianus certe in eundem spiritum sanctum

ctum peccat, qui lapsis etiam post pœnitentiam de eius remissione desperat. Nihilominus etiam Donatista peccat in spiritum sanctum, qui se ab ecclesia separat, extra quam uidelicet spiritus sanctum inueniri non potest. Quid ergo causæ est, ut cum illorum ordinatio recta esse decernitur, istorum friuola esse iudicetur, præsertim cum nos non elaboremus, ut simoniaci in eo quem male mercati sunt honore permaneant, sed id potius, ne hi qui ab eis gratuito ordinati sunt, locum sui gradus amittant? Vbi notandum, quanta sit in eorum de quibus loquimur conditione distantia, nimirum cum Donatistæ Donatistas, Nouatiani Nouatianos eisdem uidelicet erroribus irretitos ad ecclesiastici gradus augmenta promoueant, simoniaci aũt non simoniacos, sed innocẽtes potius ordinent & catholicos. Illis denique hoc solum non ualebat opponi, quod fuerint ab hæreticis ordinati, uerum hoc inserunt quod & ipsi fuissent indifferenter hæretici, isti autem nequaquam simoniacæ sunt hæresi obnoxij, quum etiam à simoniacis omi uenalitatis remoto commercio regulariter sint promoti, atque in eisdem clericis sortiti sunt administrationis officium, ubi & sacri baptismatis percepere mysterium. Vtrum uero tales merito à suis arceantur honoribus, ex beati Leonis facile possumus autoritate perpendere, si decretalem eius sentẽtiam suis hic uerbis non pigeat adnotare. Ait enim: Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à conprouincialibus episcopis cũ Metropolitani iudicio cõsecrati. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascitur, quis ambigat nequaquam ab istis esse

Dist. 62. ca. Nulla ratio.

esse tribuendum, quod nec docetur fuisse collatum? Si qui tamen clerici ab istis pseudoepiscopis in eorum ecclesijs ordinati sunt quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis ecclesijs perseuerent, aliter uana habenda est talis ordinatio Ecce autentico Leonis papæ iudicio, quoscunque nec cleri neque plebis consensus eligit, nec cum Metropolitani iudicio comprouincialium episcoporum concordia consecrauit, inter episcopos non habentur, & tamẽ hi qui ab eis in proprijs ecclesijs iudicio præsidentium ordinati, nequaquam sunt iniuncti gradus honore priuandi, uidelicet ut is qui ad episcopatus officium cum tanta usurpatione prorupit, aduersus eum fere omnium uota concurrant, et sibi prodesse nil ualeat, quod accepit, utpote qui inter episcopos non habetur, & alijs prosit, quatenus qui ab eo promoti sunt, à suis nequaquam honoribus arceantur. Si quis neget potuisse illic etiam uenale interuenire commercium, ubi ad honoris culmen tam obstinate, tam importune fuerit subreptum. Qui tamen alijs habet quod sibi non habet, quia uidelicet alios consecrare permittitur, quum & ipse inter episcopos non habetur. Sæpe namque sterili trunco fœcundus ramus inseritur, qui nimirum in eo quod germinat, non trunci, sed propriæ naturæ iura conseruat.

QVOD AB IMPIIS SAEPE HAEreticis ordinati, à suis non remoueantur officijs. CAP. XXI.

Quid

QVid dicam, quod & iјs qui ab impijssimis hę reticis sunt ordinati, ecclesiastica uideatur subuenire autoritas, & in promulgandis super hoc disceptationibus iudicis nō tam ueterem perfidiam promouentium, quàm nouam fidem & resipiscentiam consideret promotorum? Qui enim decretis pontificum solerter incumbit, non ignorat eundem cuius paulo ante meminimus, Innocentium papam licentiā permisisse, ut omnes qui añ damnationē Bonosi hæretici ab eo fuerant ordinati, si relicto atque damnato eius errore, ecclesiasticæ unitati se sociare disponerent, in suis honoribus remanerent. Et quidem Bonosus prout in eisdem decretis inuenitur Fotinianus fuisse dinoscitur. Fotiniani autē negant Christum deum ante secula ex patris substantia genitum fuisse. Nimirum quia cum Iudæis dei filium negare non metuunt, quum eisdem quoq; participiū non diuersæ damnationis incurrunt. Cum ergo hi qui non modo à tam pernicioso consecrati referuntur hæretico, sed & eius erroribus inuoluti, in acceptis permanere gradibus permittuntur, facile deprehenditur, quid de his qui à simoniacis non simoniace sunt prouecti merito iudicetur. Cui non dissimile etiam illud est, quod Anastasius papa de hęretico nihilominus decreuit Achatio. Cuius nimirum decretales sententiæ tam elimate digestę sunt, nostrisq; allegationibus per omnia congruentes, ut etiam si qua à nobis prolixius exarata sunt, cuncta decerent ad comprobandum, quod ea quæ in præsenti disputatione uersamus, plene sufficerent. Quapropter nec nos pigeat de stylo eius hic aliquanto

1. quæst. 1 ca. Quod pro.

productius recensere, ut quod loquimur non ex proprijs adinuentionibus, sed ex patris regulis uideamur excerpere. Ait namque inter cætera Anastasio
Dist.19. ca.2. imperatori: Secundum ecclesiæ, inquit, catholicæ cõsuetudinē sacratissimā serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullū de his uel q̃s baptizauit Achatius, uel quos sacerdotes siue leuitas secundum canones ordinauit, ulla ex nomine Achatij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenta minus firma uideantur. Nam & baptismum (quod procul sit ab ecclesia) siue ab adultero siue à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum, quia uox illa quę sonuit per columbam: Hic est filius meus &c. omnem maculam humanæ pollutionis exclusit. Quod declaratur quum dicitur: Hic est
Matt.3. qui baptizat in spiritu sancto & igne. Nam si uisibilis solis istius radij cum per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculātur, multo magis illius qui istum uisibilem fecit, uirtus nulla
Ioan.12. ministri indignitate constringitur. Nam & Iudas cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter apostolos pro dignitate commissa sibi, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipsum domino manifestissima uoce.
Mat.23. Scribę, inquit, & pharisæi super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in ecclesia minister pro officio suo uidetur operari, hoc totum contineri implente diuinitatis effectu, ita ille per quem Christus loquitur, Paulus affirmat. Ego plantaui,
1.Cor.3 Apollo rigauit, sed deus incrementū dedit. Et paulo post

lo post idem Anastasius. Ideo ergo & hic cuius nomen dicimus reticendum esse, male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inuiolabile sacramentũ quod per illum datum est, in alijs perfectionem suæ uirtutis obtinuit. Ecce uir apostolicus tanquam pro nobis staret nostra in se causam suscepisse perpenditur, ita ut pene nihil nobis dicendum super huius quæstionis materia reliquisse uideatur. Eatur ergo & tantæ autoritati improbe resistatur, nec sufficiat censoribus nouis quod patribus uidebatur antiquis, utdum discretio non tenetur, etiam pietas amittatur. Quidam namque dum sancti plus quàm sunt, uideri appetunt, sic corrupta conantur abscindere, ut aggrediantur etiam quæ syncera sunt lacerare, ut quo plus uideatur in censura iustitiæ districte persistere, non uereantur à pietatis tramite crudeliter aberrare. Dist. eadē

QVOD HI ETIAM QVOS POST damnationem suam ordinauit Achatius, honoribus non priuentur. CAP. XXII.

QVid isti dicturi sunt, audiant de his quoque quos post damnationem Achatius ordinauit, quid idem papa decreuerit. Non enim eos arbitror ista legisse, quos constat ab his temerario dissonare iudicio. Audiant igitur pietatem apostolicæ sedis, & à duricia proprij emolliantur examinis. Post illa siquidem quæ præmisimus, & ista subiungit. Ibid.

Quod si aliquorum, inquit, in tantũ se extendit curiosa suspicio, ut imaginentur prolato à papa Felice iudicio, postea inefficaciter in sacramentis, quæ Achatius usurpauit egisse, ac proinde oportet eos metuere, qui uel in consecratiõibus, uel in baptismate mini

steria tradita susceperunt, ne irrita beneficia diuina uideantur. Meminerint in hanc quoque partem similiter tractatum præualere superiorem, quia nō sine usurpatione sacerdotij adiudicati hoc egit, in quo uirtutem suam obtinentibus mysterijs, in hoc quoque alijs, rea sibi, non nocuit. Nam & ad illum pertinuit, quod tuba Dauidica ita canitur: Veruntamen deus conquassabit capita inimicorum suorum, uerticem capilli perambulantium in delictis suis.

Psalm.67

Nam superbia semper sibi, non alijs facit ruinam, quod uniuersa scripturarum cœlestium testatur autoritas, sicut etiam per spiritum sanctum dicitur in propheta: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Vnde cum sibi sacerdotis nomen uendicauerit cōdemnatus, in ipsius uerticem tumor inflictus est, quia nō papa, qui in ministerijs donum dei ipsius sitiebat exclusus est, sed anima illa quę peccauerat, iuste iudicio proprio erat obnoxia, quod ubique numerosa scripturarum testatur instructio. Quid iam dicetur ad ista? Quæ aduersus hæc poterit callere uersutia? Quæ ueritati repugnātibus supp petere poterunt argumenta? Ecce de una hic persona specialiter agitur, sed uniuersalis est causa, quę generaliter diffinitur, non tamen nos tanquam hæretici stantes, ad hoc ista perscribimus, ut reliquas sanctorum patrum sententias, quæ in eos eorumque ministerium seuerius uindicant, destruamus, sed ideo plane, ut dum quæ in prioribus sanctis fuerit moderatio districtionis scitur, ab his quoque qui nūc sunt nequaquam per immoderatam iustitiam limes recti examinis excedatur, ne his etiam illud congruere uideatur, quod de quibusdam eorum similibus per

Psal.100.

Apostolum dicitur, quia zelum dei habent, sed non Rom. 10.
secundum scientiam. Qui igitur eodemque apostolicæ sedis autoritate damnato promoti sunt, à sui gradus administratione non corruunt, & qui à simoniacis non simoniace consecrati sunt honoris accepti periculum sustinebunt? Duræ ceruicis sententia, & indiscreti examinis prorsus inhumana censura, ut quos conscientia reddit innocuos, illata redarguat pœna plectendos, & in eos seueritas iudicialis extẽdatur, quos præsumpti piaculi temeritas non accusat. Vbi enim non est crimen admissum, cur inferatur pœnale supplicium? Quod præiudiciale censetur, etiam in tribunalibus iudicum, cur rectum uideatur in sanctorum concilio sacerdotum? Solẽt certe pij pontifices ad depositionem uniuscuiuslibet sacerdotis ex intimis uisceribus suspiriũ reddere, uberibus lachrymarũ riuis tristia ora perfundere, cunctique astantes piæ compassionis coguntur studio cõdolere. Ecce nũc tota pene Christi ecclesia ad unius sententiæ calculum sacerdotibus destituitur, & tolerabile uidetur. Sacerdotum populus in cõmune deponitur, & risus habetur. Cur non illud saltem in memoriam reducitur, quod per Ezechielem diuina uox clamat dicẽs: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, & pater non portabit iniquitatem filij, & filius non portabit iniquitatem patris, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum? Isti autem fraternæ calamitatis auari hoc satagunt, ad hoc enituntur, ut anima quæ peccauit, intereat, & alieni facinoris pœnas innocens exoluat. Anhelant enim, ut filij addicantur iniquitatibus patrum, & iusti proscribantur criminibus impiorũ

1. quæst. 1. ca. Statuimus.

Ezech. 18

atque ut manifestius eloquar, eos qui simoniaci non sunt, simoniacorum pœnis adiudicãt, & pro illorum negociatione condemnant, qui execrabilis negocij crimen prorsus ignorant. Cur non antiqua patrum sanctorum gesta siue præcepta subtilius pertractantur, & dum iudicij censura depromitur, eadẽ semper discreti moderaminis linea teneatur? Nam & is qui supra magnificus Leo omnes clericos ab hęreticis uenientes in his quidẽ quos iam adepti sunt, præcipit ordinibus recipi, ad altiores autẽ gradus prohibet promoueri. Cuius decreti nos titulum contenti simus hic breuiter adhibere, ad textum autem mittimus, quibus uacat diffusius illic exarata perlegere.

1. quæst. 1 ca. Si quis hæreticę.

Quod oĩs, inquit, cuiuslibet ordinis dicitur, qui catholicam deserens hęreticæ cõmunioni se miscuerit, si ad ecclesiam reuersus fuerit, in eo gradu quo erat sine promotiõe permaneat. Ponamus itaq; ut simoniaci in nullo à cæteris hæreticis differant, atq; per scismaticam sectam similiter ab ecclesiastica procul communione recedant, in sacerdotio tamen uel cęteris gradibus quicunq; iam ab eis promoti sunt, Leoniano decernuntur permanere iudicio. Sed dicitur ediuerso. Ecce beat⁹ papa Gregorius clamat:

1. quæst. 1 ca. quisquis.

Si quis inquit, ad simoniacæ hæreseos uel neophytorum facinus emendandum officij sui consideratione uehementer non exarserit, cum illo se non dubitet habiturum portionem, à quo hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. Concedimus inquam, & à sancto uiro, quod absit, non diuersa sentimus, nimirum ut unusquisque fidelium ad emendandum pestis utriusque flagitium pro uiribus satagat, atque ut simoniaci cum neophytis pariter deponantur zelo

recti examinis inardescat. Nos itaque non pro simoniacis stamus, quos nimirum damnandos esse omnis sacri eloquij testatur autoritas, sed sicut ex sanctorum patrum multimoda sanctione colligimus, gratis à simoniacis ordinatos in suis iure ordinibus retinendum esse libere profitemur. Itaque qui Gregorium ad suæ probationis indicium deuocant, Gregorianum quoque testimonium admittere reciproca uicissitudine non contemnant. Et non qualecunque, sed pro ipsa re (ut dicitur) ad uiuum tangat, ac litigandi terminum de cætero uerbosis imponat. Denique dum in homilia quadam de simoniacis loqueretur adiecit. Qui namque sunt in templo dei hodie, qui columbas uendunt, nisi qui in ecclesia precium de impositione manus accipiunt, per quam uidelicet impositionem spiritus sanctus cœlitus datur? Ecce si sancti huius uiri autoritati fides adhibenda decernitur, non est cur disceptationis controuersia ulterius protrahatur. Quid enim liquidius, quid apertius, quàm quod dicitur, quia per illam uidelicet manus impositionem quæ uenditur, spiritus sanctus cœlitus datur? Atq; ut idipsum adhuc arctius inculcaret, tardioremque sensum plenius eo quod dicebatur, instrueret, quod manifeste præmiserat, replicare non piguit dicens: Columba igitur uenditur, quia manus impositio per quam spiritus sanctus accipitur, ad precium præbetur. Si ergo per illam manus impositionem quæ ad precium præbetur, spiritus sanctus accipitur, quid minus sacramenti in simoniacis, quàm in gratuito promotis sacerdotibus inuenitur, nisi quia fonte quem alijs salubriter influunt, ipsi damnabili-

Homi. super euãg. Luc. ca 19 Designauit Iesus.

ter irrigantur? Et uiperarum more dum filios pariunt, ipsi moriuntur. Quid enim mirum, si in ministerijs spiritualibus ex malis ordinatoribus boni ministri fiant, cum & in carnali non dissimile quid sæpe contingat? Certum namq; est, quod uidentes filij ex cæcis sæpe genitoribus prodeant, & gibberosis atque debilibus integra membris soboles & procera succedat. Plane nec uirtus ordinātium eis augmēto est, qui per sinistra gradi non metuunt, nec rursus eorum prauitas illis officit, qui per lineam rectę conuersationis incedunt. Quid enim Samueli præiudicasse cognoscitur, quia Heli discipulus fuit? Aut quid profuit Nicolao, quia apostolica eum electio in gradum leuiticæ administrationis assumpsit? Ille siquidem cum Stephano simul impositionem apostolicæ manus accepit, & perijt, iste in Ophni & Phinees prauitate conuixit, & quia propheta deo fidelis cunctis innotuit. Vnde par fuerat, ut hi qui omnes æstuant in commune deponere, illud saltem Innocentij superius memorati prælata moderaminis dispensatione seruarent. Nam cum de his qui ab hæreticis ordinati sunt, disputaret, adiunxit dicens: Quoties, inquit, à populis aut à turba peccatur (quia in omnes propter multitudinem non potest uindicari) inultum solet transiri.

1.reg.2

Actu. 6

1.reg.3.

1.quæ. 7. ca.quoties à populis.

QVOD REBAPTIZATIO ET reconsecratio par crimen est.

CAP. XXIII.

QVia igitur ut de consecrationibus loquere mur congruenter occurrit, atque id solum huic

huic nostræ lucubratiunculæ demum restat, super hoc etiam themate uel succincte nos tractare nō pigeat. Plane qui sacri eloquij limen consueuit attere-re, rebaptizationem & reconsecrationem sub eiusdem examinis didicit lance pensare. Sicut enim rebaptizatus Christum quem induerat, exuisse conuincitur, ita nimirum & reconsecratus spiritum sanctum quem acceperat, euidenter probatur amisisse, et cum summi uerbi atq; paracleti una diuinitas, eadem proculdubio credatur essentia, qui unum perdit, alterum non habebit. Atque ideo sicut nefarium est, si quis per iterationem baptismi Christum à se præsumat expellere, ita nihilominus execrandum, si per reconsecrationem spiritum sanctum nō timeat abnegare. Sed si ex decreto Felicis papę ubi nimirū rebaptizatis loquitur, breue quid apponere nō grauemur, illic manifeste possumus colligere, quid debeamus etiam de reconsecratione sentire. Inter alia siquidem ita profertur. Eos, inquit, quos episcopos præsbyteros uel diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan seu coactos lauachri illius unici claruerit fecisse iacturam, & Christum quem non solum dono regenerationis, uerumetiam & gratia percepti honoris induerant exuisse, cum constet neminem ad secundam tinctionem uenire potuisse, nisi se palam Christianum negauerit, & professus fuerit esse paganum. Quod quum generaliter sit in omnibus execrādum, multo magis in episcopis, præsbyteris, & diaconis auditu saltem dictuq; probatur horrendum. Sed idem dominus atque saluator clementissimus est, & neminem uult perire, usq; ad exitus sui diem in pœnitentia (si resipiscunt) iacere con

de consecra. di. 4. ca. Eos quos.

ueniat, nec orationi non modo fidelium, sed nec cathecuminorum quidem omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est. In quibus profecto uerbis illud est solertius intuendum: quia rebaptizatus idcirco negasse dicẽdus est, quia post perceptum baptismum se negauerit Christianum, is etiam qui reconsecrandus accedit ideo spiritum sanctum negasse conuincitur, quia iã post consecrationem spiritum sanctum se non accepisse testatur. Reconsecratus ergo ac rebaptizatus nequaquam diuersa damnatione diuiditur, cum nimirum pari impietati sociatur, nisi fortassis & hũc sceleratius peccare quis asserat, propter hoc quod ueritas dicit, quia qui peccat, in patrem & filium, remittetur ei, qui autem peccat in spiritum sanctum, neque hic remittetur, neque in futuro. Et reuera si catholicorum dicta pontificum propensiori subtilitate discutimus, inuenimus aliquam licentiam in rebaptizatione permissam, quam certe uidemus reconsecrationi funditus denegatam. Nam si quæ superius dicta sunt memoriæ non patimur excidere, animaduertimus à Paulianistis alijsq; hereticis spiritum sanctum non habentibus baptizatos, baptizari regulariter oportere. Vbi baptismus tamen iterari non dicitur, quia baptismus fuisse immũda impiorum ablutio non uidetur. Reconsecrari autem à quocunq; hereticorum genere ueniant prorsus nequeunt, quia hoc sacri canones omnino refugiunt. Quapropter satis miramur cum tam prodigiosa quidam cęcitate uesaniant, ut à simoniacis ordinatos denuo cõsecrandos esse decertent. Illud siquidem promulgant simoniacorũ ordinatione decretum, quod illis etiam absonum

Mat. 12. Luc. 12.

1. quæst. 1. ca. Quod quidam.

1. quæst. 1 ca. Si qui.

ſonum probatur hæreticis, qui orthodoxæ fidei ne
perexiguum quidem uidentur habere ueſtigiũ. Hæ
reticorum alij rectæ fidei ſunt, & in ſuis gradibus re
cipiendi, alij recta fide carent, & in ſuo perſiſtere ho
nore non debent. Et quoniã à ſimoniacis hæreſeos
notam propulſare nõ poſſumus, iure quibus aſſigna
ri uideantur hæreticis perſpicue diſcernamus. Aut
enim rectam fidem habere dicendi ſunt, ſicut Noua
tiani, aut perfidiæ erroribus detinentꝰ, ſicut Pauliani
ſtæ uel Arriani. Sed ſi rectę fidei cũ Nouatianis ſnut,
ſicut à Nouatianisueniẽtes in ſuis præcipiũtꝰ honori
bꝰ recipi, ita etiã ab his ordinati nõ debẽt ab iniũcti
gradꝰ officio remoueri. Qđ ſi cũ Arrianis ſiue Paulia
niſtis perfidiæ inuoluuntur erroribus, ſicut ab illis
egreſſi reconſecrari nullatenus permittuntur, quod
nimirum Innocentio papa omnimodis prohibente
paulo ante didicimus, ſic etiam iſti qui à ſimoniacis Cap. 19.
ſunt promoti, nulla poſſunt ratione denuo conſecra
ri. Reſtat igitur ut ſiue recte credant, ſiue non, de-
nuo conſecrari non debeant. Neceſſe eſt itaque ſe-
cundum ea quæ dicta ſunt, ut à ſimoniacis ordina-
ti, aut catholicæ dicantur credere, & in ſuis debe-
ant officijs permanere, aut perfidiæ conuincantur
obnoxij, & ſic quod acceptum eſt, perdant. Verum
quis neſciat eos non ſolum in orthodoxæ fidei ſoli-
ditate perſiſtere, ſed plæroſque eorum inſuper ut re
uera catholicos per omnia uiros ſanctæ conuerſatio
nis ſtudio cunctarumque uirtutum honeſtate flore
re? Conſequitur ergo, ut in acceptis honoribus
iure permaneant, in quibus nimirum cum inte-
gritate fidei & conuerſatio ſancta concordat.

Abijcia-

Abijciatur ergo blasphemia temeritatis, ac usus illicitus reprimat, & qui arguunt Christũ rebaptizatos exuere execrẽt, etiã reconsecratos pari spiritum sanctum impietate negare. Legẽ igitur qui astruunt quomodolibet consecratos secundam manus impositionem posse suscipere, non illa sua contenti, canonicæ autoritatis id studeant testimonijs approbare. Dicant itaque, qui sanctorum patrum ista præsumpserint, qui saltem præsumẽda dictauerint? Et cum ad probationis indicium autentici ueterum defecerint apices, necessario semetipsos noui dogmatis fateantur autores, quod nimirum cum sanctione doctorum nusquam reperiatur esse præceptum, inuenitur etiam ultro prohibitum. Nam beatissimus papa Gregorius Ioanni episcopo Rauennatis ecclesię, sicut neminem rebaptizari, ita etiam nec in ipsum denuo consecrari posse his asseruit uerbis. Illud aũt inquit, quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, ualde ridiculum est, & ab ingenij uestri consideratione uidetur extraneum, nisi forte quod illud exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate uestra sic sapere. Sicut autẽ baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita consecratus semel, in eodem ordine non ualet iterũ consecrari. His uerbis euidenter ostenditur: quia sicut in rebaptizatione Christus exuitur, ita & in reconsecratione spiritus sancti gratia qui male prouectus est, euacuatur. Quid enim sacrilega illa consecratio, nisi duplex est depositio? Quia nimirum dum unus execrabiliter consecratur, uterq; iure deponitur. Vnde non immerito in canonibus Apostolorũ legitur:

Li. 2. epistolarũ ex registro ca. 32.

Si quis episcopus, aut præsbyter, aut diaconus, secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur & ipse, & qui eum ordinare tẽtauit. Nam eos qui ab huiusmodi baptizati fuerint uel ordinati, neque fideles, neque clericos esse possibile est. Quod si quisquam obiecerit, post depositionem reconciliatũ fuisse Formosum Romanæ uidelicet sedis episcopũ, nouerit plurimos sacerdotum reconciliatos quidem fuisse, qui tamen nusquam leguntur in idipsum denuo consecrati. Aliud est enim quemlibet per synodalẽ sententiam in amissi ordinis iura restitui, aliud per consecrationis mysterium quod iterari nõ põt spiritus sancti gratiam promereri, præsertim cum in eo qui deponitur, quanquam dignitatis utendæ perdat extrinsecus priuilegium, manet tamen nihilominus semel adepti ordinis sacramentum, sicut etiam sacramento regenerationis, excommunicatur reus cuiuslibet criminis nec caret eodem sacramento, etiam si nunquam reconcilietur deo. Sed de reconsecrationis impietate licet nos plura dixerimus, ne tamen res adhuc in dubio pendeat, si gestorum quoque autoritas non accedat, de ecclesiastica historia præbeamus exemplum, ut nonnihil uideat (ut dicitur) quorumlibet consecratio sacerdotum. Nam ut eadem hic uerba ponantur, tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, cum post expleta solennia conuẽturos ad conuiuium suum clericos expectaret, in loco mari uicino uidet eminus puerorum super oram maris ludum imitantium (ut fieri solet) episcopum, atque ea quæ in ecclesijs geri mos est. Sed cum intentu diutino pueros inspectaret, uidet ab his geri quædam

Dist. 68. ca. Sicut semel.

lib. 10. ca. 15.

dam etiam secretiora et mystica. Peturbatus ilico uocari ad se clericos iubet, atque eis quid eminus ipse uideret, ostendit. Tum abire eos & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent, quis eis ludus, & quid egissent, uel quomodo percunctatur. Illi, ut talis habet ætas, pauidi negare primo, dein rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos à se esse quosdam cathecuminos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebant, quid interrogati fuerint, quidue responderint, simul & ab eo qui interrogauerat, ubi uidet secundum religionis nostræ ritum cuncta constare collocutus cum concilio clericorum statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus, aqua fuerat infusa, iterari baptismũ non debere, sed adimpleri ea quę à sacerdotibus mos est. Athanasium uero atque eos quos ludus ille uel præsbyteros habere uisus fuerat, uel ministros, conuocatis parentibus sub dei obtestatione tradidit ecclesiæ nutriendos. Et reliqua, quibus uidelicet narratur Athanasius reuera episcopus factus, sicut à puero fuerat simulatus. Quod nimirum antiquitatis exemplum aduersus eos adhibere curauimus, qui consecrationem à simoniacis factam nihil esse penitus asserunt, atque ab illis ordinatos nihil à laicis distare contendunt. Si enim proludium illud quo uidelicet pueri præsbyteros se simulauerãt uel ministros tanti est habitum, ut eos episcopus sub dei obtestatione parentibus suis traderet ecclesiæ nutriendos, nec integrum arbitratus sit eos etiam in seculari ordine

per

permanere, qui se per adumbratæ simulationis speciem confinxerant clericos extitisse, quur illi perhibentur à laicis non distare, quos constat à quibuscunque consecrationis mystertum iuxta morem ecclesiasticum percepisse? Si illos à laicis sola simulatio segregat, quo pacto istos qui reuera omnia regulariter acceperunt, ab eis nihil differre falsa hominum uanitas iactat? Quæcunque enim ut ait Apostolus scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Nam & in moralibus suis, si recte teneo, beatus reperitur dixisse Gregorius, inter duo pericula simoniacum constitutum, ut uidelicet siue gregem cõmissum deserat, siue in male accepto honore permaneat, peccati laqueos euadat, nec utramlibet rem expresse diffiniens, tantummodo ubi uidetur facilior casus asserit quantotius enatandum. Si itaque simoniacus, ut dicitur, laicus est, in quo quæso inquit delinquit, si sacerdotalis dignitatis officium deserit? Si sacerdotij sacramentum utcunque non habet, ut quid à pastorali ministerio cum culpa diuiditur, cui debitor per sacramenti uinculum non tenetur? Sed dicite mihi fratres, cum pace uestra loquar, si simoniaci uel ab eis ordinati à laicis, ut asseritis, nihil differunt, quid est, quod sacri canones simoniacos in synodali concilio deponendos esse decernunt? Nunquid si sacerdotale ius usurpare non conuincitur, synodali eget conuentu, ut ille solenniter deponatur? Nunquid non satis erit, si priuata qualibet districtiõe corripitur, ut uel simplicibus uerbis à presumpta temeritate frãgat? Nunqd post depositionem

Rom. 15.

Gregori⁹

onem simoniacus remedium pœnitentiæ per manus impositionem suscipere, secularem militiam baiulare, coniugem ducere, negotiorum commercijs tuto poterit inseruire? Nam si exercitium perdunt, sacramentum tamen ordinationis amittere nequeunt. Itaque cum hæc omnia necessario censeatis simoniacis non posse congruere, quæ tamen non negetis quibuslibet laicis, conuenire fateamini necesse est alterutra à semetipsis uarietate differre, quibus perspicue uidetis diuersa competere. Videamus etiã quid iam memoratus Innocẽtius papa licet in transitu sentire, de reconsecratione signauerit. Ait enim in Decreto, quod Naisitano scribit episcopo. Superiori tempore, si tamen recte recordor, memini me tam ad dilectionem tuam, quàm ad fratres & coepiscopos nostros Rufum & cęteros huiusmodi literas clericis Naisensibus trãsmisisse, his uidelicet, qui se ante damnationem Bonosi asserunt ab eodẽ tam præsbyteros, quàm diaconos ordinatos, ut si relicto atque damnato eius errore uellent ecclesiæ copulari, libenter recipiantur, ne forte qui essent digni recuperandæ salutis in eodem errore deperirent. Verum nunc in Rauennati urbe mihi constituto propter Romani populi necessitates creberrimas, Germanius qui se esse asserit præsbyterum atque Lupentius qui se diaconum dicit multorum talium quasi legatione suscepta, prece fusa dolores proprios exprimere gestiuerunt, asserẽtes se quidem ecclesiam in dilectionis tuæ constitutam parrochia retinere, sed tuam communionem non potuisse mereri, ea uidelicet ratione, quia Rustitius quidam nomine iterata ordinatione presbyterium suscepisset, & non leui

Innoc. in episto. ad Laurẽtiũ Symensem episcopum cap. 2.

leui impedimento sit, dum aut illi dolent huiusmodi hominē in ecclesia retineri, aut ille sic peccare debere in alios arbitratur, quemadmodū in se agnoscit esse peccatum. Ecce hic manifeste agnoscitur, quam habuerit Innocentius de reconsecratione sententiā, cum illos satageret in sui episcopi communionē restitui, qui zelo iustitiæ dolebant reconsecratum hominem in ecclesia retineri. Illum perhibet arbitrari, quia sic episcopus peccare debet in alios, queadmodū & in se peccauerat, qui eum denuo consecrarat, familiaricꝫ prope reproborū studio eiusdem damnationis laqueo & alios conabatur innectere, quo semetipsum primus non timuerat irretire. Vnde illi non immerito arbitrabantur huiusmodi tanquam damnabilem prorsus hęreticum de ecclesia repellēdum, qui & sibi non parceret, & alijs periculum prouideret. Ne quis aūt nos inuoluti uoluminis arguat, dum admisceri his prolixiora canonum fortassis exempla conqueritur, hanc nouerit proculdubio causam: quia nimirum hi cum quibus agimus ad inspiciendos sacros canones sæpissime suadendo uel exhortando compellere non ualemus, atqꝫ idcirco hic apponendas sanctorū patrum senrentias dignū ducimus, ut uel excerptas delicatis ac teneris eorū oculis opponamus, quatenus dum quæ sentimus in his quæ à nobis sunt prolata, cōsiderant, autoritati etiā cui innitimur, cedant. Sed ut omnia illis constet prouenire confusa, hoc etiā aduersus canones agūt, quia cunctos simul gradus in recōsecratione suscipiunt. Vnde cum de quodam mihi noto quia nuper reconsecratus fuerit comperissem, fateor exhorrui facinus. Quid plura? Tandem conueni hominem. Nun-

quid inquam jam in te erat aliquid ex his gradibus quos nup ab episcopo suscepisti? Nihil prorsus ait, ut quid enim acciperem, si me habere constaret? Et adieci. Ergo à laico nil distabas, imò laicus prorsus eras. Etiam inquit, purus profecto laicus, utpute qui de clerico nihil habuerim. Sed si laicus inquam ipso die quo laicus est ad sacerdotij iura proruperit, tuo quoque iudicio fit neophytus, ac perinde proculdubio deponendus. Ad hæc ille confusus erubuit, & cõclusionis necessitatem quam labefactare nõ potuit, tacendo firmauit. Illud quoque non leuioris uidetur esse uesaniæ, quia resecata conseruãt, sed quocunque mense uel feria munus inordinatæ ordinationis indifferenter usurpant, tanq̃ prima consecratio hanc secundæ consecrationis licentiam præbeat, ut confusis ordinibus utpote simul datis etiam temporum statuta cõfundat, & hoc in recõsecratione sit licitum omnimodis testantur absurdum. Vnde quæso uos pij pontifices, aduersus impium dogma diuino sancti zeli feruore concurrite, & emergenti nũc primũ nouæ hæresi unanimiter obuiate. Obstruatur os iniqua loquentium, & peccatorum manus apostolicę fidei non quatiat fundamentum. Seruetur ecclesiastica in sua puritate doctrina, nec eam uexare permittatur terrena sapientium turbulenta uersutia. Surgit inimicus noctu per agrum Christi zizania conspergere, uos in die quo ambulatis sanæ doctrinæ sarculo male sata radicitus extirpate. Noctu Allophyli puteos ruderibus implent, in die Isaac euacua-
Gene. 26. re festinet. Sacrarium Christi nocturnus fur tentat irrumpere, excitetur lingua canum eius salubriter oblatrare. Quod & si uestro fortassis ordine

quisquam

quisquam prodeat qui dogmatizare tam nefanda præsumat, tanto illum durius debetis arguere, quanto & is qui ecclesiæ autor esse debuerat, eam nititur oppugnare. Suggerite igitur domino nostro papæ beatissimo, quatenus sic in reos uigorem ecclesiasticæ seueritatis extendat, ut iuxta indiscretorum hominnm uota innocentes quoque eadem sententia nō inuoluat. Videtur enim luxuriare iudicium, quod in filiorum necem pro paterno fuerit crimine promulgatum. Et simoniacos quidem ut iam cœperat, diuinis animatus uiribus, destruat, sed non eotenus, ut eorum ordinationem immoderato quorundam iudicio subiacere permittat, imò qui uice Petri claues tenet ecclesiæ, ipse potissimum aduersum nouum dogma consurgat, & introductores prauitatis dignæ sententiæ iaculatione confodiat, & qui clauum sagenæ regit, quæ piscatoribus est commissa, malos pisces à bonis studeat sub hac dispensatione secernere, ut cum eis simul etiam bonos non adiiciat reprobare. Dicat ergo hominibus indiscretis, quod paterfamilias dixisse legitur seruis, ne forte, inquit, colligentes zizania ad comburendnm, eradicetis simul & triticum, nimirum ut sic postmodum zizania comburenda colligantur, quatenus triticum in horreum congregetur. Nūquid eñ beatus Apostolus cū Ananiā & Saphirā animaduersiōis sententia pculit, in filios quoque uel necessarios ulciscendū eē decreuit? in ipsum quoque Simonē uibrata sentētia, nō in eos usque pertransiit, qui aliquid ueritatis ab eo potuerunt fortassis exculpere. Nā quū dicitur, pecunia tua tecū sit in perditionē, pecunia cū negociatore percutitur. At ubi deest pecunia, percussio nō timet. Et uos itaque

Mat. 13.

Ibid.

Actu. 5

Actu. 8.

uenerabiles patres cum beatissimo summo pontifice sic cuncta sub discreti examinis æquitate disponite, ut traditã tanti doctoris regulã in uestra quoque uideamini censura seruare, quatenus in ecclesię corpore sic ferrum quæ corrupta sunt, sentiant, ut tamen in proprij uigoris robore syncera quæque permaneãt, sic plectibiles puniant excessus, ut dũ reatũ seueritas legalis exequitur, sua innocentiæ immunitas reseruetur, sic arbor uiciata securibus sit obnoxia, ut plantæ ab illa transpositæ, in sui uiroris gratia radicitus coalescant. Veruntamen & hoc ociosum esse non credimus, si quod super hoc negotio idem uenerabilis Leo papa statuerat, exponamus. Nã cum omnes simoniacorũ ordinationes synodalis uigoris autoritas cassasset, protinus à Romanorũ multitudine sacerdotũ magnę seditionis tumultus exortus est, ita ut non solum ab ipsis, sed à plærisque diceretur episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officijs destitutas, & præcipue missarũ solennia ad subuersionem Christianæ religionis & desperationem omnium circumquaque fidelium funditus omittẽda. Quid plura? Post longa sane disceptationum hincinde uolumina, tandem suggestum est reuerẽdæ memoriæ nuper eiusdem sedis episcopũ decreuisse Clementem, ut quicunque à simoniaco cõsecratus esset, in ipso ordinationis suæ tẽpore nõ ignorãs simoniacum cui se obtulerit promouendũ, quadraginta nũc dierum pœnitentiam ageret, et sic in accepti ordinis officio ministraret. Quam nimirum sentẽtiam protinus uenerabilis Leo ratam percensuit, & sub huiusmodi pœna hos in acceptis officijs de cætero perseuerare mandauit. Nam & nonnullos hodieque conspicitis,

Lege epistolam decretalem Leonis ad episcopos per Cæsariensem Mauritaniam constitutos.

ſpicitis, qui dum à talibus diuerſi gradus fuerunt ordinati, ab eodē ſummo pontifice ad epiſcopatus apicē ſunt prouecti. Nec id perperā: quia cum canonica decernat autoritas, ut quicunque per pecuniā ſacram obtinuit dignitatē deijciatur ipſe, & ordinator eius, patet proculdubio, quia ſimoniacę ordinatū ordinatoremque cōtemnens hic protinus iudicij metā fixit, nec ſentētię calculū in eū quoque, q ab huiuſmodi promoueri potuiſſet, extēdit. Nā ſi canonis huius autor prouectū quēlibet à ſimoniaco deijciendū duceret, ipſum ordinatoremque illius notans, cōſequenter etiā de his qui ab eo promoueri poterāt, non taceret, ut nimirū diceret, deijciatur ipſe & ordinator eius, ac pręſto ſubiūgeret, & quicūque fuerit ordinatus ab eo. Quod quia nō dixit, nec nobis etiā ſentiendū eſſe ſignauit. Queror aduerſum uos ſimoniaci, qui grauē nobis elucubrationis huius moleſtiā intuliſtis. Equidē noſtra defendimus, ſed ita dūtaxat, ut uos perpetuo cōdemnemus, ſic ea quę per uos agūtur, admittimus, ut uos abominabiles omniumque perditorū extremis dignos ſupplicijs arbitremur. Nimirū Iudas dominū purum hominem credens uēdidit, ſed mox preciū ſanguinis abiecit. Vos aūt nihil de diuinitate ſancti ſpiritus ambigentes, & cōmerciū illi uenalitatis aſcribitis, & perpetrati ſacrilegij cōmodū poſſidetis, quique fueratis ultione plectendi, ſcelera cōmiſſa lucramini. Quibus ego uos merito cōparauerim, qui diuina munera nō uobis, ſed alijs habetis, & quę illis ad ſalutis proueniunt cumulū, uobis in iudicium perditionemque uertuntur. Iudæis plane uos ſimiles uideo, qui medullitus diuinæ legis ignari Chriſtifidelibus per orbem ubique facti ſunt ſcriniarij. Apum

1. quæſt. 1 ca. Si quis epiſcopus per.

quoq; formam propemodũ tenere uidemini, quæ dum obducãdis faucibus hominũ elaborata mella trãsmittunt, ipsę mox perituræ famis inopia contabescũt. Deniq; perpendite infelices, q̃ immanissimo perditionis barathro sitis immersi, quorũ mala non solum mala sunt, sed ipsa etiã bona uobis facta sunt mala, quibus nimirũ benedictio in maledictionem, charismata in hæresim, sacramenta in sacrilegiũ, honor in contumeliã, prouectio uersa est in ruinã. Huc accedit, quia & de tot animabus estis reddendæ rationi obnoxij, quot nũc uidemini fidelibus esse pręlati. Affluite nũc diuitijs, cõstipamini tumescẽtes obsequentiũ cuneis, prope est ut uideatis omes angelorũ exercitus aduersum uos uehemẽter iratos, apostolos, martyres, oĩmq; sanctorũ agmina cõtra uos terribiliter insurgere, & in damnatiõis uestræ sententiã concordi simul ac parili iudicio cõuenire. Illum quippe habetis offensum, atq; ideo cõsequenter infestum, cuius offensio neq; hic remittitur, neq; in futuro. Immanitate porro cruenti ac sceleratissimi criminis uestri, adulteros uincitis, homicidas exceditis, raptores, sacrilegos, incestos, parricidas, atq; omniũ pene reorũ flagitia superatis. Et adhuc parum est. Nam si res digna, ut est, existimatiõe perpenditur, ipsa Iudaica perfidia, omnisq; prorsus hæretica prauitas uestris excessibus nõ æquatur. Orta est uobis nox in meridie, tempestas in serenitate, fit uobis cœlũ ferreũ, & terra ænea, quia ad superna mole nequitię nõ assurgitis, & intra hoĩes quod cõscientia teste cõmissum est, nõ celatis. Sane si tũc etiã, sicut patrũ testatur autoritas, bñdictio uobis in maledictionem uertitur, cum benedici sacerdotis ore uidemini, quid uobis tunc fiet cum ipsa uox diuina uos male-

1. quæst. 1. ca. Quicunq;.

dictos appellat & reprobat, à cõspectu suo uos iudicis furor abijcit, & tortoribus tradit: Tũc profecto discetis, quãti cõstet transacti honoris amara contẽptio, cũ iã necesse erit, ut uos tartarus infinite patẽs absorbeat, & gehẽnæ crudelis os cõcludat. Tũc ossa uestra medullis pinguibus irrigata trepidabũt, stridẽsq; flamma depascet, tunc edax incendiũ uelut eructuãs de clibano p ora uobis, per oculos, per aures, & nares uaporib⁹ eructuare nõ desinet. Sic sic dignũ erit iã ut cũ illo duce uestro hæresiarcha uidelicet Simone participiũ sortiamini, & quibus nõ suffecerat paradisus gratis à Christo promissus, satisfaciat infernus à diabolo pecunia cõparatus, quanq̃ & ipso uestri erroris autore & pestilentis cathedræ præside uos nõ incõgrue damnabiliores intelligã, ut eũ uidelicet digne præcedatis in pœna quem nequiter excessistis in culpa. Ille siquidem cœleste munus duntaxat emere uoluit, sed uoti compos ad effectum fulminandę concupiscentię non peruenit, uos aũt uoluistis & cõfecistis, accessistis & irrepsistis. Structa est fabrica, prodiet & moneta. Ille denique dum se deũ simulat canis ostendit, dũ eleuatur, obruitur, dũ scãdere cœlũ uidet, in tartarꝵ labit. Consequenter & uos dũ petitis alta, corruitis: dũ æquales uideri cæteris hoĩbus cõtenti nõ estis, diuino simul & humano despecti iudicio ad immũdorꝵ canũ similitudinẽ festinatis. Verꝵ nos nugas terim⁹, si ossa arida ad uitã reducere corripiẽdo quasi uaticinãdo tẽtemus. Solũmõ orandũ est, ut honore deposito carnes neruosq; reinduãt, & sic p afflatũ s. spũs denuo reuiuiscant. Sed iã emerso pelago clauũ stringẽtes, uela submittim⁹, quia duce Christo littus aspicientes portui propinquamus.

FINIS.

SERMO PRIMVS PETRI DAMIANI HOSTIensis episcopi de excellentia beati Ioannis Euangelistæ.



Odie dilectissimi nobis lætitiæ gaudia geminantur, quia recenti adhuc natiuitate dominica, beati Ioannis occurrit solennitas gloriosa. Hodie discipulus, quẽ diligebat Iesus, dilectoris sui amplexibus stringitur, societate perfruitur, & quod uiderat, quod audierat, quod
1. Ioan. 1 manibus attrectauerat de uerbo uitæ, tanto iã liquidius, quãto sublimius contẽplatur. Hodie scilicet illa mirabilis aquila, quam & olim Ezechiel eminere cæ
Ezech. 1 teris quatuor animalibus uidit, & ipse Ioannes suimet (ut ita loquar) propheta factus, uolãtem in mystica uisione conspexit, ad unicam angelorum & hominum escam pennis librata sublimium meritorum feliciter euolauit. Licet enim ubicunque fuerit
Luc. 17. corpus, illic necessario congregentur & aquilæ, sed iste tanto familiarius ad uitæ pabulum corruptioris, uinculis iam solutus accedit, quanto & in carne adhuc positus in ipsum æterni solis orbem, hoc est, in diuinæ substantiæ claritatem radios purificatæ mentis infixit. O quàm miranda super nos cœlestis consilij dispensatio, o quàm profunda diuinæ sapientiæ est altitudo. Descendit deus ad hominem, ut occultum hominibus innotesceret deitatem. Ad huma-

Ad humanæ mortalitatis exire dignatus est publicum, ut nobis æternitatis suæ reuelaret archanum. Sed si mox ut in euangelicæ doctrinæ cepit uerba prorumpere, ac nouæ gratiæ mysteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, statim diuinitatis suæ panderet sacramentũ: cuius quæso ferret auditus, cuius unquam caperet intellectus? Nam ut de diuinitate nunc taceam, cum dominus diceret, quia nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, & qui manducat me, ipse uiuet propter me, protinus aspernati sunt uerbum, & exhorruere dicentes: Durus est hic sermo, Quis potest eum audire? Deinde scriptura subiũgit. Ex hoc, inquit, multi discipulorũ abierũt retro, & iam cũ illo non ambulabant: Videlicet non de turba, non quilibet imperiti, sed ipsi etiã discipuli nequiuerunt capere uerbũ mysterij. Quid ergo isti facerent ante solem, qui cæcati sunt ad lucernam? Quomodo tonitrui sustineãt sonitum, qui clangentis tubæ pondus ferre nequeunt, imò qui suppressæ ac temperatæ humanæ uocis exilitate surdescunt? Propterea igitur redemptor noster dilectũ sibi speciali prærogatiua discipulum ad declarandam suæ diuinitatis essentiam, quoddam quasi organum fecit, atq; ut hic suppleret, quod ad tẽpus ipse dominus dispẽsatiue suppresserat, sibimet uicarium dereliquit, quatenus expleto passionis ac resurrectionis ascensionisq; mysterio, post tredecim ferè annorum lustra cum iam uidelicet homines liberiorẽ ad capessandam ueritatem haberent mentis obtutum, hic coessentialis & coeterni deo uerbi panderet sacramentum dicens: In principio erat uerbum, & uerbum

Ioan. 6.
Ibid.
Ibid.
Ioan. 1.

& uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Humanę quippe imbecillitatis ordo poscebat, ut prius Christi humanitatis primordia cursum consummationemq́ꝫ pernosceret, miracula etiam quæ in hominem gessit, addisceret: sicq́ꝫ paulatim ad cōprehendendum diuinitatis occultæ mysterium, suis uegetatę, puectibus aspiraret. Quapropter diuini fuit causa consilij, ut cæteri euangelistæ qui in describenda saluatoris humanitate uersati sunt, longe præcederent. Ioannes uero cum homines tãquam primo lactantes firmiora iam in uia ueritatis uestigia figerent, eos ad conscendendã diuinæ scientiæ gratiam promoueret, hanc deniqꝫ supereminentẽ diuinæ scientiæ celsitudinem tunc diuinitus illustrata mente concepit, cum in sacrosancto mysticæ cœnæ conuiuio supra pectus recubuit redemptoris. Et quia in
Coloss. 2. pectore Iesu sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientię absconditi, ex illo cœlesti gazophylatio summam traxit, unde nostrę paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditauit. Ex illo, inquam, nobis ærario diuitiarum copias attulit, & in cõmunem totius mundi salutem bene prodigus erogauit, imò super fontem perennis uitæ recubuit, ut & ipse tunc semper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis postmodum præfixo certi temporis articulo propinaret. Magnus uidelicet paradisi fluuius, qui ex principali sui fontis origine profluens, ac uberiori cœlestium charismatũ inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum tanquam nouarum frugum germina, uberrima fertilitate fœcundat. Et non immerito tam profunda, tam super-
eminens

eminens reuelatio deitatis uirgini debebatur, ut qui carnis sibimet amputauit illecebras, felici commercio pro carnali dulcedine cœlestium epularum diuitijs frueretur. Ad tantum scilicet gratiæ prouectus est priuilegium, ut omnẽ transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non propheta, non patriarcha, non denique quisquam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus aspirasse. Nec mirum si redemptor noster beato Ioanni uicem suam ad declarandum diuinitatis suæ mysterium delegauit, quem ad custodiendam uenerabilem matrem suam perpetuam scilicet uirginem, quasi alterum filium suo loco supposuit, mulier, inquiens, ecce filius tuus, ad discipulum autem: ecce mater tua. Dignum quippe fuerat, ut cui potissimum commisit cœlestia, committeret & terrena. Et quia mediator dei & hominum ex duabus naturis, diuina scilicet & humana consistit unus Emmanuel, beatus Ioannes utriusque naturæ fidelis minister existeret, qui & diuinitatis sacramenta conscriberet, & beatæ genitrici, perpetuæ custodiæ ac sedulitatis suæ ministerium exhiberet. Cuius utriusque excellentissimi uidelicet sacramenti quodãmodo ministrũ se esse testatur, cum per omnem euangelici textus sui seriem, sic stili modũ tẽperat, & quadã uicissitudine mysticę uarietatis alternat, ut mõ humana pronũtiet, mõ diuina, modo quæ humanitatis sunt, historialiter inserat, mõ quæ sunt diuinitatis quadã sublimiũ ac subtiliũ uerborũ maiestate depromat. Tantaq; locutionis arte uerborum uim temperat, ac libratæ moderationis sobrietate dispensat, ut nec diuinitatis archana uulgari, nec ea quę fidei nostræ necessaria sunt, patiatur,

Ioan. 19

abſcondit. Proinde quum hiſtoriæ uerba contexit, uelut per tenuiſſimas rimas diuinitatis fulgorem ad oculos hominum coruſcare permittit. Sicq; dum tenuiſſimo lucis æternæ radio, oculus mentis noſtræ perſtringitur: ad indagandum mox illud inacceſſibile ſummæ ueritatis lumen perſpicatius aperitur. Quia uero beatus Ioannes alternato ſuæ narrationis ordine, modo diuinitatem Chriſti ſublimiter intonat, modo quæ humanitatis ſunt plane quodammodo atque humiliter aſſeuerat: ſicut ipſe in euangelij ſui principio cœpit, ita ſeriatim uſque ad finem, hunc eundem modum per omnem ſuæ deſcriptionis articulum tenuit. Nam ſicut noſtis, in capite ſui libri deificum illud ac ſingulare ponit exordium.

Ioan. 1. In principio, inquiens, erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Ecce aquila dei ad cœli uerticem ſublimiter euolat: ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, ut preſſis alis, aliquando in imum ſubmiſſa deſcendat. Vnde & paulo poſt quid ſubdat,

Ibid. audite: Et uerbum, inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hanc itaque diuerſitatem humanitatis atque diuinitatis, unite ſibimet atq; inconfuſe ſponſa de ſponſo dicit in Canticis:

Cant. 5. Venter, inquit, eius eburneus, diſtinctus ſaphiris. In membris quippe humani corporis, uix aliquid uentre fragilius ſiue tenerius inuenitur, ideoq; per uentrem recte fragilitas in Chriſto aſſumptę humanitatis accipitur. Ebur autem os eſt elephantis, quod uidelicet animal fertur eſſe caſtiſſimum frigidiſſimæq; naturæ. Venter ergo eburneus eſt ſponſi, quia ſuſcepta redemptoris humanitas, ab omni peccatorũ contagio caſta prorſus & inuiolata permanſit. Siquidem peccatum non

fecit,

fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Saphirus autem lapis est, sereni cœli habens colorem, unde & in uisione domini dicitur. Erat sub pedibus eius quasi opus lapidis saphirini & quasi cœlum cum serenum est. Per saphiros ergo opera diuinitatis intelligũtur, quæ in carne dominus ostendebat. Vẽter ergo sponsi distinctus erat saphiris, quia Christi humanitas diuinis uirtutibus refulgebat. Nec plenus saphiris esse dicitur, sed distinctus, ita uidelicet ut inter saphiros cãdor eboris appareret: quia sic dominus ex parte hominis assumpti operabatur humana, ut aliquãdo nihilominus ex parte deitatis ostenderet & diuina. Nã esurire, sitire, flere, postremo crucifigi & mori, humanitatis erant opera, miracula uero facere, et non solum alios, sed etiam semetipsum à mortuis suscitare, euidentissima erant diuinitatis indicia. Hoc itaque modo beatus Ioannes quasi eburneum uentrem spõsi saphiris distinguit, dum aliquando diuinitatis alta, aliquando humanitatis infirma describit. Quia igitur hic beatus Ioannes de deo mirabiliter atque incomparabiliter cæteris mortalibus loquitur: iure factum est, ut non solum à Græcis, sed etiam à Latinis undique theologus appelletur. Theotocos Maria, quia deum ueraciter genuit: theologus Ioannes, quia dei uerbum ante secula apud patrem esse, & deum esse, non solum inenarrabiliter uidit, sed & profunda sublimitate descripsit. Vnde non immerito potest dicere cum propheta: Eructauit cor meum uerbum bonum. Recte ergo uirgo uirgini ad obsequium traditur, & pro domino seruus uice filij subrogatur, ut uirginalis pudicitiæ splẽdor ex utraque persona sibimet inuicem congruat,

Esa. 53. & 1. Pet. 2.

Exod. 24.

Psal. 44.

& flo-

& floridus intimi candoris aspectus, quod in se uiuere considerat, hoc uernare & in altero deprehendat. Libet hic fratres mei pulchram uarietatem diuinæ dispositionis coram charitate uestra perpēdere, & egregios duos redemptoris nostri discipulos qualiter inter se quadam dignitatis similitudine congruant comparare, Petrum uidelicet & Ioannem. Commisit nanq; dominus Petro claues ecclesiæ, uoluit & beato Ioanni custodiā Mariæ delegare. Vtraque nimirū mater: Mater Maria, mater ecclesia. Sed Maria mater Christi, ecclesia mater populi Christiani. De Maria Christus carnem suscepit: ecclesiam uero de lateris sui carne produxit. Ex ista prodijt secundum carnem natus, illam protulit carne iam mortuus. Ex ista uoluit nasci: pro illa dignatus est mori. Ex una semel natus est in persona sua: ex altera cotidie nascuntur membra sua. Traxit ex altera, quod pro altera moreretur, & quo utraq; communiter saluaretur. Magna igitur & felix mater est beata uirgo Maria, ex cuius uisceribus caro Christi assumpta est, ex qua rursus per aquam & sanguinem profluxit ecclesia. Hoc itaq; modo & ex Maria prodisse uidetur ecclesia. Vtraq; tamen casta, utraq; munda, utraq; perpetuæ uirginitatis signaculo præmunita. Harum itaq; duarum matrum, duarū perpetuo uirginum, alterā Petro, alteram Ioanni uoluit cōmendare, ut propēso diligēter utriusq; pondere ministerij, excellentiū meritorū dignitas in duobus cœli senatoribus uideatur æquari. Dicit dn̄s Petro: Tibi dabo claues regni cœlorū. Nūquid & beata Maria cœlū nō fuit, in cuius utero uirginali nouē mēsibus tota diuinitatis plenitudo permansit? Ex ipsius quippe
Mat. 16.

castis

castis mundisq́; uisceribus, dei uerbum, per quod fa-
cta sunt om̃ia, immaculata se carne uestiuit. In angu
sta scilicet aluo cõclusus, sed totius orbis iura rege-
bat immẽsus. In breuissimo inq̃ uirginalis uteri do
micilio cõstitutus, & cœli gubernabat imperium, &
terrenorũ omniũ non amiserat principatũ. Non er-
go præsumptiue cœlũ dicitur uenerabilis uirgo Ma
ria, atq; ideo beatum Ioannem dñs quodãmodo cœ
li clauiculariũ esse cõstituit, cum beatæ genitricis suę
eũ decreuit esse custodẽ. Proinde ut beato Petro Io-
annes multipliciter cõparetur, quum discipulos suos
redemptor noster inquireret, qua circa se homines
opinione ducerẽtur, illiq́; protinus respõdissent, alij
Ioannẽ Baptistã, alij aũt Heliam, alij uero Hieremiã, Ib. N.
aut unũ ex prophetis, donec ad Petrum uentum est,
nutabat assertio, nec ambiguitatis uinculũ soluebat.
At ubi quid habeat discipulorũ sensus exigit, præce-
dit in ueritatis confessionẽ, qui primus erat in apo-
stolica dignitate, Petrus uidelicet. Tu es, inquit, Chri
stus filius dei uiui. Inter nutãtis adhuc fidei sinuosa
uolumina, inter procellosas ambiguitatũ fluctuãtiũ
tẽpestates, piscator ille ueritatis ancorã fixit, & naui
culã fidei in tutissimo trãquilli portus gremio collo
cauit. Sed uideamus utrũ Ioannes & huic operi ali-
quã cum Petro similitudinẽ habeat. Constantissimæ
itaq; prædicationis arguitur: sicq́; à Domitiano tũc
Cæsare in exiliũ destinatur. Protinus hæretici Mar
tion, Cherintus, & Ebion cæteriq́; q̃ plurimi, quos 1. Ioan. 2.
ipse conuenienter antichristos appellat, caulas eccle
siastici gregis irrũpunt, & uelut lupi graues super oui
lia pastoris adminiculo destituta grassantur, Chri-
stum scilicet ante Mariam non fuisse dogmatizãtes,
&

& ita simplicem euangelicæ fidei puritatem, perfidiæ suæ squaloribus corrumpentes. Confunditur mundus, turbatur ecclesia, uacillat fides, & uelut inhorrescente tempestate perfidię, plurimi naufragantur. Quid plura? Tandem perempto Domitiano, diuina duce gratia rediit Ioãnes Ephesum, turbatamq; gemit ecclesiam. Sed quicquid inuenit erroris turbine atq; tempestate turbatum, solidius atq; robustius ad pristinæ fidei reuocat sacramentum. Nam rogatus (ut ab historiographis traditur) à charitate ferè totius uniuersalis ecclesiæ, in illius tandem erupit diuinæ inspirationis elogium: In principio, inquiens, erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hoc itaq; signaculo ueritatis, & hæreticorum tergiuersationibus metã fixit, et catholicorum fidem perpetua ex tunc & deinceps certitudine roborauit. Petrus igitur petra, Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meam. Petra quoq; factus est & Ioannes, supra cuius fidei fundamentum totius ecclesiæ structura consurgit, quam uidelicet siue hæreticorum furor impingat, siue tentationum irruat impetus, non euertit. Hæc petra ueri Dauid fundam implet, qua Philistæum Goliad signanter in fronte percutiat, ubi uidelicet prophanus & impius crucis uexillum nõ habebat. Hæc siquidem petra omnes ecclesiasticæ doctrinæ aduersarios destruxit, hæc Iudaicam perfidiam cũ omni prorsus hæreticorum prauitate prostrauit, Nec mirum si instar Petri & Ioannis petra dicatur, quum hæc ad Ezechielem dominus dicat: Ecce dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorũ, & ut adamantem

Ioan. 1 — Mat. 16. — 1. reg. 17 — Ezech. 3

tem & ut silicem dedi faciem tuā. Plane quod uter-
que discipulus protulit de sacramento dominicæ fi-
dei, quanquam profundissimum sit atq; omnino di
uinum, & utrumq; pari modo uires humanæ men-
tis excedat, nec uideatur diuersum in excellētię diui
nitate quod eodem prolatum est spiritu dictan-
te, illud tamen beati Ioannis singularitatis locū si-
bi uēdicare cōspicitur: quia neq; añ illū, neq; post illū
hoc idē scripsisse aliquis inuenitur. Nā illam beati Pe
tri apostoli sententiam, & Martham sororem Laza
ri eisdem fere uerbis legimus protulisse. Cui nimi-
rum cum saluator diceret, omnis qui uiuit & credit Ioan. 11.
in me, nō morietur in ęternum, atq; subiungeret, cre
dis hoc? ilico eodem spiritu quo & Petrus inspirante
respondit. Ego credidi, inquit, quia tu es Christus fi
lius dei, qui in hunc mundum uenisti. Quid autem
mirum si Ioannem de diuinitate loquentem beato
Petro præferimus, cum illud euangelij sui singulare
principium, ipsa etiam dominica uerba si dici liceat,
excedere uideamus. Nec iniuria sit redemptori no-
stro, si dicatur aliquid ipse sublimius depromere
per discipulum, quàm per semetipsum, & per illius
linguam manifeste proferre, quod per semetipsum
liquido noluit aperire. Nam & ut hic quædam ad-
huc inter eosdem beatos apostolos comparatio ui-
deatur, hoc beato Ioanni dominus cōcessit in uerbis
quod & Petro contulit in miraculis, uidelicet, ut &
iste altiora proferret, & ille maioribus uirtutū pro-
digijs choruscaret. Nam & in apostolorum actibus
inuenimus: quia in plateis eijciebant infirmos, et po
nebant in lectulis & in grabatis, ut ueniente Petro,
saltem umbra illius obumbraret quemquam illo-

rum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Quod tamen dominum fecisse nusquã legimus, ut per umbram uidelicet sui corporis remedium sanitatis alicui attulerit. Sed quod prædixit, exhibuit, quod promisit, impleuit. Nam in eiusdem Ioannis euangelio dicit: Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad patrem uado. Enimuero ipse operabitur in Petro, ipse locutus est in Ioanne. Non eñ inquit, uos estis qui loquimini, sed spiritus patris mei qui loquitur in uobis. Merito nẽpe beatus Ioannes & præcedentes omnes ac subsequentes diuinorum scriptores uoluminũ gloria singularis eloquij præcedit, quem non luxuria polluit, non libido corrupit, sed uirginalis integritas perpetuæ incoruptionis titulo decorauit. Qui nimirum nuptialis copulæ thalamum deserens, omnem illecebræ carnalis ardorem in cœlestium delitiarum uoluptatem transtulit, arctissimeq; se in sui redemptoris ac dilectoris amore coniũxit, propter quem scilicet coniugalis thori fœdera abdicauit. Vnde diuinitus illi concessum est, ut tanta cor eius circa fratres charitatis gratia repleretur, ut sacrosanctũ pectoris eius templum uelut caminus quidam diuini uideretur incẽdij. Quod profecto in quibusdam scripturis eius patenter agnoscitur, in quibus utiq; per omnem fere paginam quasi per quasdam rimas charitatis uapores effundere, charitatis uidetur ardoribus æstuare. Modo enim patres nominatim ad charitatem prouocat, modo non filios, sed filiolos, quasi tenerè diligens appellat. Modo proprijs ætatum uocabulis infantes, modo iuuenes, modo singillatim admonet adolescentes

Ioan. 14. Mat. 10.

tes. Modo etiã mulieribus epiſtolas deſtinat, easq́ ad cautelam fidei & ſtudiũ ſynceræ dilectionis inuitat. Hic itaq́ inenarrabilis charitatis ardore ſuccenſus, huc illucq́ ſe uertens, undiq́ circumiens, ubique diſcurrens, omnia hominũ genera ad ſalutẽ cõcitat, omnia ætatũ incremẽta perluſtrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curioſæ ſolicitudinis inueſtigat, & tanq̃ arcus uniuerſalis eccleſiæ factus, totius humani generis ſummã ulnis paternæ dilectionis amplectitur, atq́ ad redemptoris ſui conſortium trahere unumquenq́ ſingillatim admonendo conatur. Amor quippe domini quo eũ præ cunctis mortalibus plus dilexit, & ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, ut nimirum plus amaret qui plus amabatur, & qui primus erat in redemptoris amore, pręcipuus fieret in fraterna charitate. Quantum autem apud dominũ impetrandi locum, quẽ præcipue familiaritatis Ioannis obtinuerit priuilegiũ, hinc manifeſtius colligere poſſumus, quod idem beatus Ioannes euangeliſta teſtatur, quia in ipſo uitalis cœnę conuiuio Ieſus conturbatus eſt ſpiritu, et proteſtatus eſt & dixit: Amen amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me. Deinde ſequitur. Aſpiciebant ergo ad inuicẽ diſcipuli, hęſitãtes de quo diceret. Moxq́ ſubiũgit. Erat ergo recũbens unus ex diſcipulis Ieſu in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis eſt de quo dicit? Atque ut hiſtoriæ ſtylo non tenear, Ioanni mox interroganti dñs mox reſpõdit: Ille eſt cui ego intinctũ panem porrexero. O admirabilẽ, o incõparabilẽ uirũ, & omi chriſtianę deuotiõis pręconio præferendum. Ecce uerbũ proferi in mediũ, et totus tacet, ac ſub ſi-

Ioan. 13.

Ibid.

lentij censura reprimitur senatus apostolorum. Tanta siquidē magistri præsidentis uidebatur autoritas, ut sub districta se cōpesceret beata discipulorū contio disciplina. Hæsitant, ambigunt, atque inter se inuicem oculorum nutibus quodāmodo interrogantes aspiciunt, ueruntamen lingua referre quod gestiunt, uel dominum consulentes inquirere non præsumunt. Tacet Petrus, tacet cœli clauicularius. Tacet denique lingua, quæ clauis facta cœlorum, cœlum simul & terram ligat & soluit. Tacet is inquā, cui portæ inferi non præualent, qui ligandi animas atque soluendi obtinet principatum. Silet Andreas, qui ipsi fratri ad fontem uitæ præuius fuit. Non loquitur Thomas,
Ioan. 1. qui uiam se nescire professus, eundem esse uiam, ue
Ioan. 14. ritatem & uitam ipso referente cognouit. Non præ
Ibidem. sumit os aperire Philippus, qui dum patrem sibi poposcit ostendi, profunda mysteria indiuiduæ trinitatis audiuit. Omnes tacent, omnes dubitant, & latenter inquirunt, non quidem prolatione uerborum, sed tantum nutibus oculorum. Sed cum res diu sub hac ambiguitate penderet, nec nodū dubietatis quispiam absolueret, tandem Ioannis patrocinium quæritur, & sic ad rei dubiæ noticiam peruenitur. Ille nimirum condiscipulorum persona in se suscepta, cōsultor accedit, qui de ampliori familiaritatis atque dilectionis prærogatiua confidit. Vnde considerandū est fratres mei, quantæ deuotionis instantia beati Ioannis ididæ dei flagitare debemus auxilium, quem sibimet interuentorem & ipsi apostoli quæsierunt. Quantum apud iustum iudicem pro peccatoribus poterit, qui et pro ipsis cœlestis curiæ senatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus est summis, quàm

humiliter implorandus est à minimis? Hanc nimirũ hominis eminentiam, hanc meritorum sublimiũ celsitudinem angelus ille cognouit, qui se ab illo adorari prohibuit. Vide, inquit, ne feceris, cõseruus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimoniũ Iesu, deum adora. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrem recognouit, socium iudicauit, subiectionis obedientiam non accepit. Quamuis enim in omnibus sanctis semper sit angelicæ munditiæ contubernalis & cognata uirginitas, beatus tamen Ioannes tanto reliquos uirgines superat, quanto uirginitati beatæ Mariæ per sedulitatis ac perpetuæ custodię meritum appropinquat. A qua sola uidelicet præceditur: quia fœcunditas uirginalis quæ est in Maria, nullis est omnino meritis comparanda, & non solum quia fœcũda est, sed quia deifica. Virginem enim parere, nouum ac singulare est, deum uero parere, ita nouitatem singularitatis exuperat, ita omnia quæ miranda sunt antecedit, atque incomparabiliter supereminet, ut nec mente concipi, nec lingua ualeat aliquatenus explicari, sed sicut uenerandæ matris domini uirginitas, beati Ioannis uirginitatem excedit, sic ipse pro glorioso eius contubernio cæteros à mundi primordio uirgines antecellit. Huc accedit, quod ille recubitus in pectore saluatoris, ille diuinus ardor, quẽ & archana eius inspiratione cõcepit, ita in eius uisceribus omnium libidinum fomenta decoxit, ut corpus eius tanquam reuera spiritus sancti templum à cunctis uernaret æstuantis luxuriæ squaloribus defecatum.

Apo. 19.

Nec ullum locum in eo uendicabat flamma libidinis, cuius gratia sancti spiritus templum iugiter obumbrabat. Quocirca dignum fuit, ut beatus Ioannes apostolus archangelo Gabrieli ad custodiã matris domiui socius haberetur, quatenus ille cœlestis olim paranymphus intactam uirginẽ inuisibiliter custodiret, & iste forinsecus fragilitati fœmineę, obedientię suę ministerium exhiberet. Et congruũ erat, ut quæ talem genuit, qui cœli simul & terræ dominus esset, utriusq; patriæ ciues in suo consortio haberet, ut in ore duorum uel trium testium staret omne uerbum. Quapropter beatus Ioannes quanto familiarior cum matre uerbi uersatur, tanto & ipsi uicinior uerbo inuenitur. Et quoniam non ab alio, sed ab ipsa ueritate Mariæ dictus est filius, mulier enim,
Ioan. 19 inquit, ecce filius tuus, atq; idipsum iterando confirmat, ad discipulum autem: ecce mater tua, nemo iure uidetur maior meritis eo qui speciali quadã gloria, frater est saluatoris. Huius igitur tam sublimis, tam pii, tam casti, tamq; pręcellentissimi, deo dilecti, fratres charissimi, laboremus pręcepta seruare, per huius uestigia in quantũ possumus, duce diuina gratia, studeamus incedere. Sed si omnes cũ Ioanne uirginitatem habere iam in carne non possumus: quia post naufragium secunda restat tabula, studeamus florere uirtutibus, & sic diuinitus uirginitatis amissę dispendium optime cõpensabimus. Non igitur nobis auaritiæ candor incandeat, non iracundię nos furor impellat. Non in nobis flãma libidinis æstuet, non turpis cogitatio pulchram animæ nostræ coram deo speciem fœdet. Non nos terrenæ facultatis abundãtia in superbiam erigat, non tenacitas mi-

sericor-

sericordiæ uiscera à pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua castitas, humilitas, patientia, sobrietas, iustitia cum pietate, seueritas cũ mansuetudine. Inter hæc fratres charissimi cæterarumq́ꝫ dona uirtutum, charitas, quæ mater est omnium, in sacrario pectoris nostri semper teneat principatũ, quia sicut Ioannes dicit, deus charitas est, & quia per charitatem dei filius descendit in uirginem, per eam nos exaltet ad paternæ gloriæ claritatem, qui uiuit & regnat in trinitate perfecta, unus & uerus deus, per omnia secula seculorum. Amen. 1. Ioan. 4.

Item Sermo II. eiusdem de eodem.

GAudeamus fratres charissimi, copiosum nostræ fraternitatis adesse conuentũ: quia dũ nos ad hodiernã festiuitatẽ b. Ioannis gloria prouocat, etiã spũs sanctus ut tã reuerẽter, tam pacifice, tam deuote cõueniatis, indubitãter inspirat. Dignũ quippe est, ut qui à Christo prę cunctis mortalibus specialiter est dilectus, à Christi dilectoribus permaxĩe diligat̃, prę sertim cũ & ipse circa nos tãtę charitatis extiterit, ut diuinitus sibi traditis sapiẽtię & sciẽtię clauibus, oẽs sacramẽtoꝝ cœlestiũ thesauros expẽderet, & ęternę uitæ diuitias quas solus acceperat, nobiscũ participãdo largit̃, & fideliter erogaret. Quid em̃ diuinę sapiẽtię quęris, q̃d apud Ioannẽ reperire nõ possis? Quę em̃ hęretica prauitas, quę Arriana perfidia, quę Iudęoꝝ uesana calũnia, quę gentiliũ philosophorũq́ꝫ uersutia, quę deniq́ꝫ scismaticoꝝ abominãda scissura, b. Ioannis non est eloquio superata, eiusq́ꝫ doctrinis euidẽter attrita? Si qñ em̃ ab inimicis ueritatis obijciunt̃ nob. uolumina quęstionũ, ilico Ioãnes accedit in mediũ, Ioan. occurrit, Ioan. silẽtiũ uerbosis im

 ponit.

ponit. Quotiessiquidẽ de uera humanitate ac diuini tate Christi certamẽ quęstionis oboritur, quæ uidelicet oĩbus pacis inimicis cõmunis ẽ materia dimicãdi, protinus ad Ioannis euãgelium curritur. Ioãnis in pugna patrocinium quæritur, & sic mox cuncta litigiosi certaminis iurgia conquiescunt. Quid igitur necessarium in doctrinis, quod Ioannis uolumina sacrosancta non teneant? Quid in uirtutibus, quid in meritis, quo beatissimus incomparãbiliter non excellat? Apostolus siquidem in epistolis, euangelista in euãgelio, propheta in Apocalipsi. Propheta inquam, & non qualiscunq;, sed mirabilis, atq; ad similitudinem alterius, & plusquam propheta. Nam quia prophetæ officium est, futura prædicere, non etiam præsentia demonstrare, beatus Ioannes baptista iccirco cæteris prophetis enituit: quia dñm digito quem prophetabat, ostendit. Nunquid & iste Ioannes plusquam propheta non est, qui præter consuetudinem omnium prophetarum semetipsum pręuidit in spiritu, & inter plurima reuelationum cœlestium sacramenta, dum aquilæ uolantis similitudinem uidit, semetipsum ueraciter agnouit. Ezechiel
Ezech. 1. autem eandem aquilam spiritu reuelante conspexit, non quidem uolantem, sed cæteris animalibus desuper eminentem. Cum quo uidelicet propheta beatus
Ezech. 3. Ioannes cõsiderato utriusq; uolumine in multis nõ ambigitur concordare. Cum eo nimirum & librum qui quasi mel dulcis erat in ore comedit, & sanctuarij loca describit, atq; in pluribus alijs propheta cum apostolo consonanter incedit. O quàm admirabilis est immutatio dexteræ excelsi, o quàm terribilis dominus in consilijs super filios hominum. Quis enim
digne

digne consideret, de tanta humilitate, iste piscator ad quantæ celsitudinis culmen meruerit sublimari? Enimuero qui olim uili nauicula contentus, & retibus, maris profunda simpliciter scrutabatur, nunc illustratæ mentis radio secreta cœlestia penetrat, mysteria intonat, diuini consilij occulta hominibus reuelat, ꝓphetica depromit oracula, apostolica tradit hominibus documenta, imò in speculanda summæ diuinitatis essentia, præcedit prophetas, supergreditur patriarchas, apostolos superat. Postremo totius humanitatis transcendit ingenia, & illuc usq; mẽtis aciem tẽdit, quo uix & angelica ualet attingere creatura. O dei plene gratia. Pax enim dei, sicut dicit Apostolus, exuperat omnem sensum, ut illud sponsæ dicere non immerito uideatur. Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus & lętabimur in te. Pensemus itaq; fratres, quantum ab eo qui nunc est homo iste tunc differebat, quando matre interueniente rogabat, ut ipsum cum fratre dominus alterum à dextris, alterum sedere cõcederet à sinistris. Nam quantũ ad uerba hoc petere uisus est, ut unum ex eis dominus cum dextris eligeret, alterum à sinistris cum peccatoribus reprobaret. Sed quia insipienter petijt, repulsam patiẽs ilico cum filijs quod merebatur, audiuit. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicẽ quem ego bibiturus sum? Respondentibus autẽ, possumus, præsto subiungit: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem mecum, non est meum dare uobis. Ecce hic in uerbis dominicis patenter ostenditur, quia & Ioãnes martyr fuit, dum constat quia calicem domini biberit, et reuera martyr fuit, quia multa pro domino persecutionum supplicia pertulit.

Philip. 4
Cant. 1.
Matt. 20.

Martyr utiq; fuit, quia crucem domini per sui corporis afflictionem & proximorum errantium compassionem diu uiuendo portauit, & quo cęteris apostolis in carne prolixius mansit, eo durioris martyrij tormenta sustinuit. Vnde pie credendũ est, quod inter centum illa quadraginta quatuor milia uirginum, qui habent nomen agni & nomen patris eius
Apoc. 14. scriptum in frontibus suis, qui empti sunt de terra, & cantant canticum nouum ante sedẽ dei & agni, hic beatus Ioannes egregius sit & insignis, atq; cũ his omnibus tanto propinquior agnum quocunq; ierit, sequitur, quanto & eidem agno dilectior ac familiarior extitit, & insuper matri eius quę uirgo est uirginũ, perpetua filij sub dilectione coniunxit. Nã ex utriusq; matris uidelicet filijq; consortio, Ioannis uirginitas excellenter enituit, & quousq; possunt merita humana prouehi, quasi meta uirtutum factus indesinenter excreuit. Neq; enim uerba illa quae saluator noster in cruce positus protulit: mulier, inquiẽs, ecce filius tuus, ad discipulum autẽ: ecce mater tua,
Ioan. 19 sic simpliciter sunt accipienda, ut humano tantũ uideantur more prolata, sed prorsus efficacia sunt, et diuinis uirtutibus fulta, atq; ineuitabili ueritatis autoritate subnixa. Illud enim quod in cruce patris unicum pendebat, substantiuum & cõsubstantiale patri ac sempiternũ est, atq; iccirco uerba quae locutus est: quia spiritus & uita sunt, inaniter transire non potuerũt. Cœlũ, inquit ipse pius Iesus, & terra transi-
Luc. 21. bunt, uerba aũt mea nõ transibunt. Sicut enim dixit matri, hic est filius tuus, ita dixit discipulis: hoc est
Ioan. 19 corpus meũ. Et tantus fuit in illis uerbis effectus, ut
Matth. 26 ilico panis ille quẽ dabat, dominicum fieret corpus.

Dixit

Dixit enim & omnia facta sunt, mandauit & creata sunt. Ex quadã itaq; similitudine si dicere audemus, & beatus Ioannes non solũ filij potitus est nomine, sed propter uerba illa dominica quoddã maius necessitudinis sacramentũ apud beatam uirginem meruit obtinere. Consideremus itaq; dilectissimi quantæ gloriæ uir iste credendus est, qui per quoddam adoptionis archanæ mysterium, et filius uirginis, & frater est saluatoris. Hinc est, quod mentem eius omnipotens deus ad tantũ puritatis ac mysticæ reuelationis culmẽ euexit, ut ei nõ modo statũ pręsentis ecclesiæ ostenderet, sed etiam quid deinceps futurũ esset, usq; in perpetuũ reuelaret. Vnde & illam suam nobilem Apocalypsin scripsit, quę nimirum tantis creditur redũdare mysterijs, ut tot uideatur habere sacramenta, quot uerba, imò in uerbis singulis, multiplices latent intellectus. Quæ profecto cum septẽ Asiæ ecclesijs mittitur, omni uniuersali ecclesiæ quæ sub septiformi spiritus sancti magisterio regitur, destinatur. Vnde consequens est, et omnes ecclesiæ per orbẽ terrarũ circumfusæ, nõ dubitent beatũ Ioannẽ communẽ se habere doctorẽ. Quibus uidelicet tanq̃ egregius quidã regalis imperij nuntius, ab Iesu Christo, qui ẽ testis fidelis, primogenitus uiuorum et mortuorum, & princeps regũ terrę, cœlitus desti natus, gratiã simul & pacẽ abeo qui ẽ, et qui erat, et q uẽturus est, attulit, ac multa secreti cœlestis mysteria patefecit. Iã uero illa beatæ migrationis eius nouitas mirabilis, quẽ nõ moueat? Quis felicissimę cõsummatiõis gloriam nõ obstupescat? Quia eñ mirabiliter uixit, mirabiliter obijt, & quia non communem cum hominibus uitam duxit, non communi hominum morte transiuit. Nam ut historiæ contingent, quadratam in

Psal. 32. et 148.

ecclesia foueam fieri iussit, moxq́ꝫ in eam descẽdens extensis manibus, post prolixa fusæ orationis uerba migrauit. Mox autem tanta super eum lux cœlitus est emissa, ut nullus eam ferret aspectus. Postmodũ autem inuenta est fouea nihil aliud in se continens nisi manna, quod uidelicet, sicut dicitur, usque hodie scaturire non desinit. Sic nimirũ, sic sic dilectum autori uitæ discipulum transire de seculo dignum fuit, ut tam fieret à dolore mortis extraneus, qui à corruptione carnis fuerat alienus. In sepultura in crucis modum iacere uoluit: quia crucem in suo corpore pie uiuendo semper portauit, & sicut Petrus magistrũ secutus est à persecutoribus crucifixus, ita quodã modo & Ioannes in ecclesiastica pace sepultus. Sed dominus inter eos forte diuersitatem docuit, cum

Ioan. 21 Petro dixit: sic eum uolo manere, donec ueniã, quid ad te, tu me sequere. Qui enim Petrum uoluit secũ in crucis patibulo triumphare, ipse decreuit Ioannẽ in ecclesiastica pace quiescere, quatenus & ille subeundi martyrij præberet exemplum, & iste erecta supra fundamentum fidei ecclesię fabrica, quietus migraret ad cœlum. Ille secuturis martyribus fuit constantię forma, iste nouiter in fide plãtatis, extitit morum atq́ꝫ uirtutum spiritualium disciplina. Sic eum uolo manere, donec ueniam. Veniam, inquit, ut eum uinculo carnis absoluam. Veniam, ut eum ad gloriæ meæ consortium transferam. Veniam, ut laboribus eius dignæ remunerationis præmium reddam. Ad huius deniq́ꝫ promissionis effectum clarum dedit indicium, cum in eius obitu radiãtem fecit enitescere lucem, per quam liquido patuit, ipsum uidelicet aduenisse lucis autorem. Affuit itaq́ꝫ dominus promissionis

ſionis ſuæ non immemor, qui & animam eius in illa ſupernæ Hieruſalem quiete ſuſciperet, & ſacratiſſimum corpus in ea quæ ipſe nouit ſecreti receſſus archana transferret. Nã & de beato Enoch legitur, quia ambulauerit cum deo, & nõ inueniebatur, quia tranſtulit illũ deus. Iam uero illud quis digne miretur, quod in ſepulchro eius manna reperitur, & in terræ ſpecu panis cœli non ſemel, ſed cotidie naſcitur. De manna quippe ſaluo altiori myſterio ſcriptum eſt: Panem de cœlo dediſti eis domine, habentem omne delectamentum. Veniant igitur omnes nationes gentium, & obſtupeſcant miraculũ omnibus inauditum. Veniant inquam, & admirãtes aſpiciãt: quia in ſepulchro quod proculdubio domus eſt uermium, panis oritur angelorum, ut cum propheta in magni muneris admiratione pronunciet, quod Iſraelitico populo manna deus conceſſit in cibum dicens: panem cœli dedit eis, panem angelorũ manducauit homo. Quod illis tunc mittebatur è cœlo, nunc ſcaturire cõſpicitur in ſepulchro. Si enim magnum miraculum manna non eſſet, nequaq̃ Moyſi dominus ſeruari per ſecula illud præcepiſſet. Imple, inquit, Gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, ut nouerint panem quo alui eos in ſolitudine, quando eduxi eos de terra Aegypti. Ecce quid meretur pudicitia uirginalis, ecce quantæ magnitudinis eſt integritas inuiolatæ carnis. Videte fratres mei, conſiderate, perpendite quid delitiarum incorruptio carnis habet in cœlo, ſi cibum cœli germinat in ſepulchro. Quantis illic honoribus ſublimatur beata uirginitas, ubi nimirum ſola eſt gloria, ſi & in loco fœtoris atq; putredinis tam mirabilter eſt glo-

Gen. 5

Sapien. 16

Pſal. 77

Exod. 16.

& gloriosa. Vnde et si non audeamus pleniter diffinire, pium tamē est arbitrari, ut sicut de beata dei genitrice creditur, ita etiā b. Ioannes iam resurrexisse probabiliter asserat, quatenus sicut in uirginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata resurrectione merito uideantur æquales, nec sit in resurrectiōe diuersitas, quibus tāta fuerat unanimitas cōuersationis in uita. Si enī beatissimi uirgines isti Ioannes uidelicet et Maria nullatenus surrexissent, cur in eorū tumulis sepulta cadauera nō iacerent, cum scilicet beatorū Petri & Pauli ceterorumq; apostolorum ac martyrum corpora suis quæq; noscātur mausoleis tumulata? Nam quod uere b. Ioānes obierit, ac proculdubio mortis iura persoluerit, nullo modo melius q̄ per eius uerba ualet probari. Cum enī

Ioan. 21 exisset sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur, cur ipse uera dicentibus obuiasset dicens: et nō dixit Iesus, non moritur? Frustra nimirū hic moram texere ac uerba multiplicare uideretur, si dum illi uere dicerent ut non moreretur. Iste protinus obstitisset dicens, non dixit Iesus, non moritur, ac per hoc ueritati quodāmodo contradiceret, si uera referentibus contrairet. Sed dum nō moriturum se saluatorē dixisse negauit, moriturū se indubitanter asseruit. Porro aūt si uere surrexisset, quod in sepulchro sanctum corpus eius ulterius non apparuit, diuinæ sine dubio uirtutis operatio fuit. Scriptum est in Deute-

Deu. 34 ronomio: Mortuus est Moyses famulus domini in terra Moab iubente domino, & sepeliuit eum in ualle terræ Moab contra Phogor, & nō cognouit homo sepulchrum eius usq; in præsentem diem. Renouatum est itaq; illud de corpore Moysi, nunc etiam

in

in Ioanne miraculum. Et qui legislatorem tunc dignatus est nullis scientibus sepelire, ipse et ei corpus euangelistę sui secreto quodã mysterio uoluit sepulturæ subducere. Vterq; scilicet lux mũdi, uterq; cœlestiũ mãdatorũ baiulus, uterq; diuini cõsilij reuelator. Nec immerito in dignitate suis delata cadaueribus cõgruunt, qui & in sublimibus uitę suæ meritis licet diuersis tẽporibus cõcorditer claruerũt. Et si res diligẽti cõsideratione perpẽditur, ut cũ beati Moysi pace loquar, Ioannes potior inuenitur. Ille siquidẽ minister extitit legis, hic pędicator est gratiæ. Ille pręcepta tradidit quibus peccata punirẽtur, iste pœnitẽtiæ baptismũ contulit, quo om̃ia crimina delerentur. Ille annunciator est umbræ, hic minister est ueritatis. Ille dixit dño, si inueni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuã ut sciam te, sed protinus audiuit, nõ poteris uidere faciẽ meã, nõ em̃ uidebit me homo & uiuet, iste uero deũ incarnatũ non solũ uidit & audiuit, sed etiã manibus cõtrectauit, sicut ipse testatur dicens: Quod fuit ab initio, quod uidimus, quod audiuimus, q̃d oculis nostris perspeximus, & manus nostrę tractauerũt de uerbo uitę, & uidimus & testamur, & annũtiamus uobis uitã ęternam, quæ erat apud patrẽ, & apparuit nobis. Et nõ solũ deum hominem factũ oculis carnalibus uidit, sed & ipsum uerbum quod erat apud patrẽ, per quod facta sunt om̃ia, illustrata diuinitus mente cõspexit. Atq; ut adhuc cõparatio producatur, Moyses tabernaculo pręerat q̃d nubes operiebat, ita ut aliq̃n nec ipse Moyses potuisset intrare, sicut in Exodo legitur: quia operuit nubes tabernaculũ testimonij & gloria domini impleuit illud, nec poterat ingredi Moyses tectum fœde

Exod. 33. 1. Ioan. 1 Exod. 40

fœderis nube operiente omnia. Ioannes uero melioris tabernaculi custos factus, beatæ Marię minister extitit, quam non uidelicet corporea huius aeris nubes obtexit, sed spiritus sanctus inuisibiliter obumbrauit. Et gloria domini, hoc est, filius dei, qui hoc tabernaculum non mox discessurus, sed ueram carnem suscepturus impleuit, non mansit sub aeris caligine, sed potius in solis lumine, sicut per prophetam dicitur: In sole posuit tabernaculum suum. Per illũ manna datum est tunc Israelitico populo, ecce quãto gloriosius habet iste manna in sepulchro? Et quid plura? Ille faciem suam obnubit, ne uideatur à populo, iste etiam diuinitatis reuelat essentiam, ut deus ab hominibus agnoscatur. Atq; ut idẽ repetam, ille splendorem sui uultus obtexit, ne ab illa plebe conspiceretur, iste dei uerbũ quod est imago patris, splendor gloriæ & figura substantiæ eius perspicue reuelauit, ut à nobis agnosceretur. Postremo dei filium, quem iste præ manibus habuit, cum quo diutissime conuersatus est, à quo unice atq; specialiter dilectus est, ille quidem obnixe ac desiderabiliter petijt dicens: obsecro domine, mitte, quẽ missurus es, sed impetrare non ualuit. Veruntamen dum magnis summisq; apud deum meritis ambo claruissent, uno uterq; spiritu plenus fuit, uno uterque desiderio concorditer æstuabat. Nec nos alterum alteri præferre pręsumimus, si diuersitatem pro sui cuiusq; dignitate pensamus. Duorum quippe uiatorum uiuacitate dispariũ qui orto sole graditur, clarius quælibet opposita cõspicit, quã is qui antelucanus exurgit. Et ditior est, qui autumnalem fructuum maturitatem carpit, eo qui uerni propagini arbusta plantauit. Conuenienter

Psal. 18.

Exod. 4.

ter

ter igitur factum est, ut sicut Moysi, ita & Ioannis glebam omnipotens deus absconderet, & in duobus mirabilibus uiris unum miraculum exhiberet. Et notandum, quàm affectuose, quàm pie, quàm paterne, quàm amabillime saluator sic, inquit, eum uolo manere donec ueniam. Veniam, inquit, non mittam. Non mittam uidelicet aliquam supernã uirtutem, non angelicam potestatem, quæ huius ministerij mihi fungatur officio, quæ obedientiæ huius exequatur effectum. Ipse per memetipsum ueniam, ipse egredientem eius animam in gloriæ meæ claritate suscipiam, quam & in carne manentem diuinitus illustrabam. Quantæ igitur reuerentiæ habendus est hominibus beatus iste Ioannes, quem ipse autor uitæ honorauit in carne uiuentem, honorauit & de seculo recedentem. Nimis enim honorati sunt amici tui deus. Honorauit siquidem eum in uita, dum de sacro sancto pectore suo sibi reclinatorium fecit. Honorauit rursus in morte, cum ad suscipiendam felicem meritis animam dignatus est aduenire. Nec mirum, si diuersis eum honoribus cumulauit, quem et in consortium sibimet adoptiuæ fraternitatis asciuit. Dictus est enim frater domini etiam beatus Iacobus. Sed ille frater ex natura, iste frater ex gratia. Ille ex cognatione, iste ex præcipua dilectione. Ille per lineam maternæ consanguinitatis, iste per uinculum paternæ charitatis. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et quid amplius dicã? frater domini fuit ille carnalis, iste spiritualis. Sed q̃tum cognatio spũalis carnalem necessitudinem probatur excellere, in ipsius

Ioan. 21

Psal. 138

Ioan. 14.

domini uerbis possumus luce clarius inuenire. Ait enim: Spiritus est qui uiuificat, nam caro non prodest quicq̃. Iacobũ itaq; ut frater esset dñi natura carnalis instituit. Ioãnes aũt tãto nobilius frater ẽ, quãto & ipsius naturæ dñs eũ in affinitatẽ sibi spũalis adoptiõis assumpsit, quanq̃ & ipse Iacobus iccirco beatus sit, quia eiusdẽ spiritualis affinitatis cũ domino participiũ tenet. Alioquin nisi dño per spiritum iungeretur, per illud terrenæ affinium consanguinitatis à domino nullatenus saluaretur. Quod tanto excellentius Ioannes, quanto & ante crucẽ constitutus audiuit. Ecce mater tua. Merito ergo quo eum cæteris plus dilexit, sublimius cũ cæteris honorauit. Et nos fratres pro modulo nostro dignis eum studeamus efferre præconijs, dignis ueneremur semper obsequijs. Notandũ tamen quia nunq̃ tam digne, tam reuerẽter beatos apostolos colimus, q̃ cum apostolica præcepta seruamus, cum eos in uia dei præcedentes semper attendimus, cũ eorum uestigia sequimur, cũ eorũ angustam & arctam semitã sine offensione tenemus. Enimuero in baptismo apostolorũ ducatum secuti surdos, quia per eosdem fidẽ sanctæ trinitatis inter ipsa regenerationis rudimenta didicimus. Sub cuius uidelicet figuræ mysterio sacerdotes Israelitice plebis olim transeundo Iordanem præcedebant, & populus sequebatur. Sed non sufficere illis uisum est, si sacerdotum tantummodo uestigia in transitu sequerentur, nisi & duodecim lapides de Iordanis alueo tollerent, atq; in Galgalis pro testimonio posuissent. Elige, inquit, dominus ad Iosue duodecim uiros singulos per singulas tribus, & præcipe eis, ut tollant de medio aluei Iordanis ubi fixerunt sacerdotes pedes, duodecim lapides durissimos, quos po-

Ioan. 6 — Ioan. 21 — Iosue 4.

netis in loco castrorum, ubi fixeritis tentoria hac nocte. Vt autē non omnia licet plena mysterijs uerba discutiam, quid per hoc factum nobis innuitur, nisi ut postquā mystici Iordanis fluenta transimus, postq̄ de lauachri salutaris fonte consurgimus, durissimos duodecim lapides, id est, firmissima apostolorū exempla ad imitationem nobis proponere studeamus. Lapides quippe ubi sacerdotes pedes fixerant in loco castrorū ponimus, si in procinctu spiritualis nequitiæ positi, apostolorū uestigia constanter & firmiter teneamus. Nam iuxta Salomonis sententiā, qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Nimirum qui in moribus suis præcipites ac fluidi sunt, more aquæ præcipites ad ima defluunt. Qui uero constantes ac firmi, in arcem cotidie uirtutis excrescūt. Quod nimirum & illud eiusdem historiæ significare perpenditur: quia transeunte eodem populo aquæ superiores instar montis intumescunt, inferiores uero in mare mortuum delabuntur: quia profecto ex eis qui baptizātur, alij in accepta cœlestis gratiæ dulcedine perseuerant, alij in peccatorum amaritudinem defluere reprobe uiuendo non cessant, & uelut in maris mortui salsuginem corruunt, dum sapiendo terrena per prauæ uitæ decliuia ad mortem tendunt. Nos autem non sic dilectissimi non sic, sed ad ueram sapientiam tendentes, sic per dei misericordiam in ius tutum studeamus alta proficere, ut in uitiorum pudeat uoraginē declinare. Sic perseueremus semper ad superna properare quo tendimus, ut diuini amoris dulcedinē in nostris iugiter mētibus cōseruemus. Illius itaq; sapientię laboremus participes fieri, qua bea

Prou. 18

Iosue 3

tus Ioannes per amplioris gratię cumulum meruit incõparabiliter illustrari. Cuius nimirum splendore concepto cœlum uelut aquila penetrat, ita ut creata cũcta trãsgrediens, ad ipsum rerũ omniũ uerticem mẽtis cõtemplatione pertingat. Nostis fratres mei, quia in mũdi nascentis origine, tertio die germinauerit terra, quarto cœli facta sunt luminaria, quinto uolatilia sunt creata. Quare autẽ in creandis rebus hic ordo decurrerit, nisi ut nos instrueremur: quia prius necesse est ut mẽs nostra uirentia uirtutũ opera germinet, quatenus sic mereatur cœlestis gratiam luminis, ac postremo euolare ualeat ad contemplandã speciẽ ueritatis? Germinemus itaq; fratres ut illuminemur, quatenus illuminati, uirtutũ pennis ad cœlestia subleuemur. Nõ nos mũdi huius dulcedo falsa demulceat, nõ carnalis illecebrę uoluptas luxuriosa resoluat. Nusq̃ certe præceptũ in ueteris testamẽti ceremonijs inuenitur, ut mel sacrificijs misceatur. Per quod intelligitur, quia his qui deo uitę suæ sacrificiũ, nullã deus carnalẽ uult inesse dulcedinẽ, nihil in eis uiuere, quod ad carnalem pertineat uoluptatem. Oleum aũt frequenter immittitur, ut omnis nostræ operationis oblatio hilariter offeratur. Hilarem enĩ datorẽ diligit deus. In omnibus etiam sal iubetur admisceri, ut omne boni operis sacrificium ratiõis, discretionis ac cœlestis sapiẽtiæ sale sit conditũ. Hoc aũt diuinę sapiẽtię sale ita omnis b. Ioannis doctrina uidetur respersa, ut merito dicatur os dei, lingua spiritus sancti, cædrus paradisi, lux ecclesiæ, decus orbis, præco cœli, lumẽ mũdi, sidus hominũ, specimen angelorũ, lapis uiuus, speculũ lucis, logotheca diuinitatis, forma fidei, columna cœli, architectus ueri tabernaculi,

Gen. 1 · Leuit. 2. · Ibid. · 2. Cor. 9. · Leuit. 2.

bernaculi, quod fixit deus & nõ homo. Nam & Cherubin iure perhibetur, qui scientiæ plenitudinem ex ipso redẽptoris pectore percepisse cognoscitur. Veruntamẽ eum nos quantumlibet efferre contendamus, celsitudinis eius merita nõ ęquamus: quia qui diuinę laudis præconia meruit, ad eius digne laudanda merita, humanæ linguę fragilitas nõ assurgit. Ipse quippe eius laus est, qui illi & olim precium, & nunc factus est pręmiũ. Per huius ergo uestigia dilectissimi ad redemptorẽ nostrum pleno cordis amore tendamus, huius doctrinam uelut choruscam in tenebris lampadã nostris semper gressibus præferamns. Pudeat iam terrenis incũbere, qui per spei desideriũ ad cœlestẽ cœpimus gloriã festinare. Qui ad cœlestium nuptiarũ desideriũ properat, terrenæ uoluptatis cœno uolutari erubescat. Qui titulis angelicæ dignitatis emicat, locũ in exilio nõ requirat. Incassum porro terrena lucra cõgerimus, qui diuitias immortales in regni cœlestis palatio possidemus. Quẽ ergo pondus terrenæ corruptionis aggrauat, rerũ extrinsecus affluentium copia non extollat. Qui ad hoc constitutus est, ut totis uiribus iugiter cũ aduersario dimicet, torporis hunc & negligentiæ dissolutio nõ eneruet. Sic sic per diuinæ pietatis auxilium, & florentes uirtutibus & uitijs repudiũ dantes, si hic eum sequimur, qui nobis iter crucis ostendit, illuc peruenie-mus ad eum, qui calcato mortis imperio, cœlũ cum triumphali gloria penetrauit Iesus Christus dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

DOCTISSIMIS RELIGIOSISSImisq; uiris Rodolpho Paludano Crucifero, & Henrico Grauio Dominicano fratribus amantissimis Io. Nouiomagus S. P. D.

REgulas antiquorum monachorum per Beatum Oresiesim scriptas, quas ecclesiastici scriptores ad nostra usq; tempora perduxerunt è situ & puluere, deterso squalore, in lucem emisimus: opusculum, ut inquit Trithemius, diuino sale conditum, plenum aquæ salientis ex purissimo sacrarum scripturarum fonte. Quas cum ante annos aliquot cum alijs quibusdam eiusdem argumenti libellis ad nos ut imprimerētur misisset Gualterus Grauius, contubernalis uester & communis noster amicus, uestro nomini inscribere amātissimi fratres uolui, ut uterque uestrum aduersus obtrectatores religionis testimonium haberet uetustatis. Quod eo libentius feci, ne Grauij humanissimi uiri desideriū, postq̄ in terris esse desineret, fraudaremus, cuius quoties recordor, recordor autem sæpissime, uix à lachrimis mihi tempero. Ea quippe fuit apud omnes probitate, eruditiōe, suauitate morum, ut nemo eorum quibus cum familiariter uixit, eum aliter q̄ germanum fratrem, q̄ patrē & sanctissimum præceptorem luxerit. Erat sanè, si qua ui fata moueri potuissent, indignus morte, indignissimus tam immatura morte. Inuenimus, dum forte in eius Musæo scędas uersaremus, nō paucas literas amantissime ad eum ab Erasmo scriptas, ut dubium nō sit uelitationem illam, de qua nostis,

piam

piam familiaremq́ꝫ fuiſſe diſſenſionem, nec aliter ab utroqꝫ quàm Chriſtiano animo eſſe latam. Scripſi illi pro mutua noſtra amicitia hoc epitaphium.

EPITAPHIVM GVALTERI
Grauij Dominicani Nouiomagij in
cœnobio Prædicatorum.

HVc ſi uenis forte ſpectatū in tenebris hoſpes, Iacet enim, ut ſcitis, in ueteri illo ac obſcuro ſacello ad partem cœnobij choro uicinam iuxtaq́ꝫ ſuſpenſam eius imaginem.

Reſta paululū, & reſpice, deinde ſuſpenſam tabellā
Inſpice, intende, & ſi queas agnoſce
Pictam faciem, aut lege quod eſt ſcriptum.
Eſt enim illius incomparabilis Gualteri
Grauij, cui ſub hoc ſaxo, quod nunc forte lector
Inſiſtis, quieſcenti in fide reſurrectionis
Locus eſt datus, monumentum ut eſſet
A ſuis, quibuſcum uixit annos duodeuiginti
Sine inuidia & odio, cum fide & pace.
Quem probi amarunt, ualde & coluerunt docti,
Obſecro ne ſis mortuo moleſtus, aut maledicens.
A quo uiuo mortalium nemo unquam eſt læſus.
Sed ſanctam & facilem optabis requietem,
Vt ſaluum te in die cenſorio uideat ſaluos.

Placuit hęc ad uos ſcribere optimi fratres, ut ueri amoris erga communem noſtrū amicū teſtimoniū aliquod de me haberetis. Turpe enim exiſtimo eorum poſt funera non aliquando meminiſſe, quos ui ui charos habuimus. Valete. Coloniæ è Gymnaſio noſtro Montano decimo calendas Decembres. M. D. XXXV.

DIVI ORESIESIS MONACHI ANTIQVISSIMI regulæ de institutis monasticis diuino sale conditæ.

Baruch. 3



Vdi Israel mandata uitæ, auribus percipe, et intellige prudentiam. Quid est Israel, quoniam in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus es cũ his qui in inferno sunt, & dereliquisti fontem sapientiæ. Per uiam dei si ambulasses, forsitan habitareris in pace. Disce ergo, ait, ubi est prudentia tua, ubi est fortitudo gloriæ atq; uirtutis, ubi est intelligentia, ubi est lux oculorum & pax. Quis inuenit locum eius? & quis ingressus est ad thesauros illius? Hęc loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis & inimicorũm suorum ducti sunt in captiuitatem: quia noluerũt prophetarũ suscipere mandata, et obliti sunt legis dei, quæ data est per Moysen. Iccirco induxit deus super eos pœnas atq; supplicia & captiuitatis subdidit iugo, erudiens ergo eos ut suos, & quasi pater filios emendans, nolensq; perire correctos, sed saluare cupiens per pœnitentiam. Vnde & nos apostolicorũ debemus meminisse uerborum, qui ait: Si naturalibus ra-

Rom. 11 mis non pepercit, nec nobis parcet, & dei præcepta complere negligimus. Hæc omnia in figuris contin-

1. Cor. 10 gebant illis. Scripta sunt autem ad correptionẽ no-

stram,

ſtram in quos fines ſeculorũ deuenerint. Et illi quidem de urbe Iudæ tranſlati ſunt ad urbem Caldæorum in terris mutantes loca. Nos autem ſi deus uiderit negligentes, in futuro ſeculo amittemus ciuitatem noſtram, & lętitiam deſerentes, tradetur pœnarum captiuitati, perdemusq́ꝫ gaudium ſempiternum, quod patres noſtri & fratres labore inſtabili repererunt. Igitur nõ nos uincat obliuio, nec patientiam dei exiſtimemus ignorantiam, qui idcirco suſtentat & differt, ut ad meliora conuerſi, cruciatibus non tradamur. Quando peccamus, nõ putemus deum conſentire noſtris peccatis: quia non ſtatim uindicat, ſed illud cogitemus, quod cito exeuntes de ſeculo, ſeparabimur in futuro à patribus et fratribus noſtris, qui locum uictoriæ poſſident. Quem et nos habebimus, ſi illorum uoluerimus calcare ueſtigia, & illud attendere, quod apoſtolus Paulus hic quoque ſanctos à peccatoribus ſeparat, & tradit delinquentes in interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus fiat. Beatus homo, qui timet dominũ, & quem corripit, ut emendet, & legem ſuam docet eum, ut ambulet in mandatis eius omnibus diebus uitæ ſuæ, qui non murmurat pro peccato ſuo. Itaq; & nos ſcrutemur uias noſtras, et greſſus proprios dijudicemus, reuertamurq́ꝫ ad dominum, & leuemus cum manibus noſtris corda noſtra in excelſum atq; in cœlum, ut in die iudicij adiutor noſtri ſit, & non confundamur cum loquimur inimicis noſtris in porta, ſed magis digni ſimus illud audire: Aperite portas, ut ingrediatur populus, qui cuſtodit iuſtitiam & ueritatem. Cui ueritas cordi eſt, & qui poſſidet pacem dicere poteſt, quia in te ſperauimus domine in æternum. Recordemur do-

1.Cor.5

Judith 13

mini & Hierusalem ascendat super cor nostrum ne
obliuiscamur illius hominis de quo scriptum est: Be
Hiere. 17 nedictus homo qui cõfidit in domino, cuius est spes
in eo, erit quasi lignum fructiferum iuxta aquas, &
ad humorem mittit radices suas, non timebit, quum
æstus aduenerit, habebitq; frondentes ramos & in
tempore siccitatis uirebit, poma sollicita germinãs.
Graue cor in omnibus, & homo est, & quis cogno-
Hiere. 20. scit eum? Ego dominus scrutans corda & renes, ut
Psalm. 7 reddam unicuiq; secũdum uias suas. Meminerimus
nostri, nec contẽnamus delicta quę fecimus, & singu
la mandata patris nostri & eorũ qui nos docuerunt
corde sollicito pertractemus, non solũ credentes in
Christo, sed & pro ipso patiẽtes & scientes illud my
Psal. 118 sterium, de quo dicitur: Spiritus uultus nostri Chri-
stus dominus, & alibi: lucerna pedibus meis lex tua,
Psalm. 18 & lumen semitis meis. Et iterum: Eloquium domi-
ni uiuificauit me. Et lex domini immaculata conuer
tens animas. Mandatum domini lucidum illuminãs
Rom. 7 oculos. Et apostolus: Lex, inquit sancta, & manda-
tum sanctum, & iustum & bonum. Quæ omnia in-
telligentes, digni erimus audire cum ceciderit iustus
Psalm. 36 non allidetur, quia dominus sustentat manum illius.
prou. 24 Et iterum: Septies cadet iustus, & resurget. Nunc er
go fratres deo agente patienter & nos ad pœniten-
1. Pet. 5 tiam prouocante de graui somno euigilemus, quia
aduersarius noster diabolus quasi leo rugiens quæ-
rit quẽ deuoret, cui acriter resistendũ est, et sciendum
ea certamina nostris euenisse maioribus. Non defi-
ciamus laborãtes iacientesq; uirtutũ semina, ut in fu
turo gaudia metere possimus, audiamusq; Paulum
docentem: Tu aũt qui seruasti doctrinam, eruditio-
nem,

nem,studium,patientiam, persecutiones. Et sancto-
rum exempla sectãtes,permaneamus in eo quod cœ
pimus,habentes principem & perfectorẽ Iesum. In
telligamus comã capitis nostri in uia,ut sit unguen-
tum in barba nostra,ut ad ora perueniat uestimenti,
ut possimus implere uniuersa quæ scripta sunt. Qua
propter o duces & præpositi monasteriorũ ac do-
morũ quibus crediti sunt homines,& apud quos in-
ueniuntur te quicunq; es, ut in cõmune dicã, quibus
crediti sunt homines singuli cũ turmis suis expectãt
saluatoris aduentũ, ut cõspectu illius ornatũ armis
exercitũ præpararent ne refrigeretis eos in carnali
bus,& spiritualia non tribuatis alimẽta, aut rursum
doceatis spiritualia, & in carnalib⁹ affligatis,in escis
uidelicet atq; uestitu,sed & spiritales & carnales ci-
bos pariter tribuite, & nullam detis eis occasionem
negligẽtiæ. Aut quæ est ista iustitia,ut fratres labo-
re affligamus,& ipsi otio uacemus, aut imponamus
eis iugum quod ipsi ferre nõ possumus. Legimus in
euãgelio: qua mensura mensi fueritis,remetietur uo Mat.7
bis, unde & laborẽ & refrigeria cũ ipsis habeamus Mar.4
cõmunia, nec discipulos seruos putemus, & illorum
tribulatio sit nostra lætitia,ne euangelicus nos cum
pharisęis corripiat. Vę uobis legis peritis,qui ligatis Mat.23
onera importabilia, & imponitis ea super humeros
hoĩm,& ipsi ne digito quidẽ audetis attingere. Sunt
aliqui attendẽtes semetipsos ut uiuẽtes iuxta manda
tum dei sibi loquuntur & dicunt : Quid mihi est cũ
alijs ? Ego uero ut seruiam deo,& mandata eius im
pleam,non ad me pertinet quid alij faciant,hoc E-
zechiel corripit dicens : O pastores Israel ,nunquid
semetipsos pascunt pastores ? nonne oues pascunt?

Ecce

Ecce lac comedistis, & lanis operimini, quod pin-
Eze. 34. gue est, immolastis: & quod infirmũ, non conforta
stis: quod fractum est, non ligastis: quod errabat, nõ
reduxistis: quod perierat, non quæsistis: quod forte
erat, fecistis labore deficere: et dispersistis oues meas
eo ꝙ nõ haberent pastores. Propterea ipse dominus
ueniet cum senioribus & principibus suis, et cõplebi
tur illud in nobis, exactores uestri deprædant uos,
& qui repetunt, errare uos faciunt. Quæ magis au-
dire debemus: Beata terra, cuius rex filius, ingenui
& principes tui in tempore comedunt in fortitudi-
ne, & nõ confundentur. Ideo o homo usqꝫ ad unam
animam, quæ tibi credita est, monere non cesses, &
docere quæ sancta sunt, & teipsum bonorũ operum
præbere exemplum, & cauere quàm maxime, ne al-
terum ames, & alterum oderis, sed & cunctis exhi-
beas æqualitatem, ne forte quem tu diligis, deus ode
rit, & quem tu oderis, deus diligat. Nulli erranti pro
amicitia consentias, & alterum premas, & alterum
subleues, & pereat labor tuus. Sedentes in locis hu-
milioribus in quibus pater noster præcepit penitus
non sedendum, caueant propositi domorum ne for
sitan quilibet unus ex fratribus iniuriam proposito
fecerit, & iratus ille discernat ac dicat: quid causę ha
beo ad hominem contemptorem? faciat quod uult,
nec eũ moneo, nec errãtem corrigo, siue salue tur, si
ue pereat ad me non pertinet. O homo quid hæc lo
queris? Intellige quo furore supereris, & odiũ occu-
pauerit cor tuũ, ut magis tuo uitio quàm suo pecca-
to frater pereat, cui debes ignoscere, & eum suscipe-
re pœnitentem, ut possis illud euangelicum dicere:
Luc. 11 dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus
debito-

debitoribus nostris. Si ergo uis ut tibi deus peccata tua dimittat, & tu dimitte fratri tuo quicquid illud est quod in te peccauit, memor illius præcepti, ne oderis fratrem tuũ in corde tuo. Leuit.19 Et Salomonis monentis: suscita ciuem tuum pro quo spopondisti. Prou.6 Et iterum: Ne cesses erudire paruulũ, si enim uirga per- Prou.23 cusseris eum, non morietur. Moysen quoque ausculta dicentem: Correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo. Ne ueniat rursum illud Salomonis, qui non prædicit filio ut se custodiat à perditione, uelociter dissolueretur. Omnes quibus fratrum cura commissa est, parent se aduentui saluatoris, & formidoloso tribunali eius. Si enim pro se ipso reddere rationem plenum est discriminis ac timoris, et quanto magis pro alterius culpa subire cruciatum, et incidere in manus dei uiuentis? Nec possumus obtendere ignorantiam, quum scriptũ sit: Om̃e factum deus adducet in iuditio in omnibus quæ neglecta sunt, siue bonum, siue malum. Et in apostolo legimus: Omnes nos oportet manifestari ante tri- 2.Cor.5 bunal Christi, ut unusquisque recipiat pro eo quod operatus est siue bonum siue malum. Esaias quoque Esai.13 diem constitutã significat, in qua iudicaturus sit deus orbem terræ in iustitia, dicens: Ecce dies domini insanabilis uenit furoris & iræ, ut ponat orbem terræ in deserto, & perdat peccatores de eo. Scimus quia omnia quæ in lege scripta sunt, & prophetarum uaticinio prędixerunt, sanctus quoque pater noster erudiuit nos esse retinendos, & redditūros rationem de singulis quare non fecerimus ea, aut negligentius fecerimus. Loquitur enim cui traditum est à patre omne iudicium, & ueritas erudit ueritatem. Ne putetis

tetis quia ego accuso uos ad patrem. Est qui uos accuset Moyses, in quo uos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me eñ ille scripsit. Ex qbus oĩbus discimus, ꝙ oporteat nos stare añ tribunal Christi, & de singulis non solũ operibus, sed & cogitationibus iudicari, & post ratione͂ uitæ nostrę etiam pro aliis qui nobis crediti sint, reddituros esse similiter ratione͂. Et hoc non solũ de præpositis est domorũ audiendũ, sed & de monasteriorũ principibus, & de singulis fratribus qui reputãtur in ple be͂, ꝙ omnes inuicem debent sua onera portare, ut adimpleant legem Christi, & audiant Apostolũ scribentem ad Timoth. O Thimothee depositũ custodi deuitans prophanas uocũ nouitates, & professione͂ falsi nominis scientiæ. Et nos habemus depositum à deo traditum conuersatione͂ fratrum, pro quibus laborantes & expectamus futura prȩmia, ne forsitan dicatur & nobis, dimitte populũ istum ut abeat, & traditiones patris nostri deserentibus ingeratur, qui habent legem non nouerunt me, pastores impie egerunt in me. Vnde alios corripit dicens: Ego dedi hæreditate͂ meam in manu tua, tu autem non dedisti ullã misericordiã, senes aggrauasti iugo. Quod & uos nõ solum audire uerumetiam intelligere necesse est: Qui eñ ignorat ignorabitur. Et in alio loco scriptum est: Quia tu scientiam meam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Itaque fratres charissimi, qui cœnobiorum uitam & præcepta sectamini, state in arrepto semel proposito, & implete opus dei, ut pater qui primus instituit cœnobia gaudens pro nobis loquatur ad dominũ, sicut tradidi eis, sic uiuunt. Quod idem & apostolus adhuc in corpo-

Margin notes: 1. Tim. 6 — Exod. 5 — Osee 4

corpore constitutus loquebatur: Laudo autem uos, q̄d in om̄ibus meministis mei & sicut tradidi uobis traditiões meas custodistis. Et uos ergo monasteriorū principes estote solliciti,& adhibete oēm curā pro fratribus cū iustitia & timore dei, nec abutamini potestate in superbia, sed exemplum præbete uos cunctis, & subdito gregi sicut & dominus noster in omnibus se exemplū præbuit, qui posuit quasi oues familias, ut misereamini gregi uobis credito, & memineritis apostolicæ sententiæ, in qua ait: Nihil subtraxi, ut non annunciarem uobis uoluntatem dei. Et iterum: Non cessaui deprecādo unūquemq; uestrū, & docēdo uos publice. Videte quanta uiscera & quāta misericordia fuerit in homine dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus ecclesijs, sed languet cum languentibus, & omnium sustinet passiones. Caueamus ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur, & corruat, & obliuiscamur uerborum domini saluatoris, qui in euangelio loquitur: Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis aliquem. Nullam animam contemnamus, ne quisquam per nostram duritiam pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem & pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, & monebat, ne illud eloquium impleretur in nobis: Singuli opprimunt proximum suum. Et iterum: Si inuicem mordetis & deuoratis, uidete ne ab inuicem consumamini. Ex quo apparet, quod qui alterius seruat animam, custos animæ suæ sit. Sed & uos qui secundi estis monasterijs, primos uos exhibete uirtutibus, ne quis

Actu. 20

Ioan. 17

Galat. 5

ne quis unio uestro pereat. Ne incurratis in illud op
probrium in quod incurrit ille, qui comedit & bibit
cum ebrijs, & non dedit in tempore suo conseruis
cibaria. Et ueniet dominus in die qua non sperat, &
in hora qua nescit, diuidat eum, & ponat partē eius
cū hypocritis, ubi fletus & stridor est dentiū. Ne quos
apprehendat è uobis similis condemnatio, sed quum
tempora uenerint refrigerij mereamur audire: Eu-
Luc.19 ge bone serue & fidelis, quia super modicum fuisti
fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium
domini tui. Vos quoq; præpositi domorum singula-
rum parati estote ad respondendum omnibus, qui à
uobis exigunt rationem super ea fide, quæ in uobis
est. Monete eos qui inordinati sunt, cōsolamini pusil
lanimes, sustinete infirmos, patienter agite ad omēs,
& audite apostolum monentem: Et uos patres noli
Ephe.6 te ad iracundiam prouocare filios uestros, sed enu-
trite illos in disciplina, & admonitione domini, &
scitote quia cui plus datum est, plus queritur ab eo,
Coloss.5 & cui plus creditum est, amplius exigetur. Nec tan-
tum ea cōsideretis quæ uobis prosint, sed & illa, quę
proximis, & impleatur in uobis scriptura dicens:
Quia uos sequimini unusquisq; utilitatē domus suę,
idcirco continebit cœlum rorem suum, & terra non
dabit fruges suas, qm̄ ingrauastis contra me sermo
Mat.25 nes uestros. Dicitur et alibi: Quia non fecistis uni de
minimis meis, nec mihi fecistis. Sępius dicam, & ea-
dem repetam: Cauete ne alios diligatis, alios oderi-
tis, ne hunc sustentetis, & illum negligatis, & cassus
inueniatur labor uester, & omnis sudor pereat, &
quando exieritis de corpore, & de mundi huius tur-
bidine liberati, portum uos putaueritis quietis intra

re, tunc inuenietis iniustitiæ naufragia, & in qua mensura mensi estis, remetietur uobis a deo, qui personas in iudicio non accipit. Si quid mortale aut aliquid turpitudinis ob negligētiam propositorum in domibus commissum fuerit, post illorum propria supplicia præpositus quoq; reus tenebitur criminis. Quod semper nobis sanctæ memoriæ pater noster solebat ingerere. Quamobrem cum omni cautione & sollicitudine singuli commissum sibi gregem custodiant, & imitētur pastores de euangelio, ad quos non dormientes, sed uigilantes uenit angelus dei, & saluatoris eis annunciauit aduentum, qui & ipse loquitur: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis, qui autē mercenarius est, & non est pastor, cuius non sunt oues, uidet lupum uenientem, & relinquit gregem & fugit, & lupus rapit eum atq; deuastat quia mercenarius est, & non ad eum pertinet de ouibus. De bonis autem pastoribus Lucæ scribit historia. Erant autem pastores obseruantes & custodientes uigilias noctis super gregem suum, & angelus domini uenit ad eos, & gloria dei circumfulsit eos, & timuerūt timore magno, dixitq; eis angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo uobis gaudiū magnum, quod erit omni populo: quia est uobis hodie natus saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Et huius rei signum erit uobis: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepi. Num illi soli eo tempore pascebant oues, & per deserta sequebant̄ gregē? Sed quia soli erāt solliciti & naturalem noctium somnū insidiantium luporum timor superabat, idcirco primi audire meruerunt, quod in uicino sit, at Hierosolyma dormiēs ignorabat,

Luc. 2

Ioan. 10

Ca. 2

Psal. 120. bat, unde et Dauid dicit: Ecce nõ dormiet, qui custodit Israel. Itaq; uos cum tremore & timore uigilate, operantes uestram salutem, & scientes, quod uniuersitatis dominus per quem omnis caro receptura est quicquid operata est, post resurrectionẽ solis apostolis apparuit, & dixit Apostolorum principi Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Respondit ei. Domine tu scis quia diligo te. Dicit ei Iesus:
Ioan. 21 Pasce agnos meos, dicit ei rursum secundo: Simon Ioannis diligis me? Respondit ei: etiam domine, tu scis quia diligam te, dicit ei: Pasce oues meas. Tertio praecepit, ut pasceret oues. Et in illo omnibus nobis hoc iniunxit officium, ut diligenter pascamus oues domini, & in die uisitationis eius pro labore ac custodia recipiamus quae nobis in Euangelio promisit, dicens: Pater uolo ut ubi sum ego, & isti sint mecum. Et iterum: Vbi ego sum, ibi & minister meus
Ioan. 12 erit. Respiciamus ad promissa & ad praemia creduli: facilius oẽm perferamus laborem ambulantes sicut ambulauit ipse dominus, qui promissor est praemiorum. Vos quoque qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini, & modestiam, & singula praecepta maiorum, uitae communis normam putate, ut in illis conseruandis uestras seruetis animas, & similes ei sitis qui ait: Anima mea in manibus meis semper, filius glorificet patrem, & laetamini in fructibus uestris, quia absq; operibus & fructibus nullus domini societate laetabitur, ut cum habueritis fructum in domino, ipso haerede & cohaerede potiamini. Sed & uos omnes fratres, qui subiecti estis per ordinem liberae seruituti, habetote ac-
Luc. 12 cinctos lumbos uestros, & ardentes lucernas in manibus

nibus, similes seruorum, qui expectant dominum suum quando reuertatur de nuptijs, ut quum uenerit & pulsauerit, statim aperiant ei. Beati serui, quos ueniens dominus inuenerit uigilantes. Sic & uobis fiet, si longus labor lassitudinem non operetur in uobis. Vocabimini ad cœleste conuiuiũ,& angeli ministrabũt uobis. Hęc sunt repromissiões custodientium mandata dei,& ista pręmia futurorũ. Gaudete in domino, rursum dico, gaudete subiecti patribus cum omni obedientia, sine murmuratione, & cogitationibus uarijs simplicitatem animæ ad bona opera præferentes, ut pleni uirtutibus & timore dei digni efficiamini adoptione dei. Arripite scutum fidei, in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, & gladium spiritus, quod est uerbum dei. Estote prudentes ut serpentes, & simplices sicut columbæ. Audite Paulum loquentem: Filij, obedite parentibus, & possidete salutem animarum uestrarum, per eos, qui uobis præpositi sunt. Et in alio quoque loco scriptum est: Acquiescite principibus uestris, & subijcimini, quia ipsi uigilant pro animabus uestris rationem reddentes pro uobis. Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur: Templum dei estis, & spiritus dei habitat in uobis. Si quis autem templum dei uiolauerit, disperdet illum deus. Et iterum: Nolite contristari spiritum sanctum dei, in quo signati estis in diem redemptionis iusti iudicij. Seruate pudicitiam corporis uestri, ut sitis hortus conclusus, fons signatus: qui eñ natus est ex deo, nõ peccat, quoniã semen illius in eo permanet. Idem Ioannes loqui-

Eph. 6

Mat. 10

Col. 3

1. Cor. 3

Ephe. 4

Can. 4

tur : Scribo uobis iuuenes quoniam fortes estis, &
1.Ioan.2. sermo dei in uobis permanet, & uicistis malignum.
Cum & uos uiceritis inimicum, deo uobis prębente
auxilium, tunc & ipse dicet: Eruam eos de inferno,
Osee 13 et redimam eos de morte, ubi est mors cõtentio tua:
ubi est mors stimulus tuus? Si uero mortem deuora
uerimus, superabimus eam, & dicetur nobis : Mors
Rom.6 eis nequaquam dominabitur : quoniam mors qua
peccato mortui semel sumus, in nobis mortua est, &
uita qua in Christo uiuimus, semper uiuemus : qui
enim in carne moritur, iustificabitur à peccato. Nequaquam ultra uiuamus in desiderijs hominum, sed
reliquam uitam in uoluntate dei expleamus. Qui timetis dominum, armate uos castitate, ut audire me
reamini, uos autem non estis in carne, sed in spiritu.
Et scitote quod perfectis perfecta tribuãtur, & inanibus reddantur inania, iuxta sermonem euangelicum: Qui habet, dabitur ei & abundabit, qui autem
Mar.4. non habet, & quod uidebatur habere, auferetur ab
eo. Imitemur uirgines sapientes, quæ cũ sponso thalamum intrare meruerũt, quæ habebant in uasis suis
Mat.25 & lampadibus oleum bonorum operum. Porro stultæ uirgines clausam thalami ianuam repererunt,
ante nuptias parare sibi oleum uoluerunt. Hæc in
figura contingebant illis. Scripta sunt enim ad
correptionem nostram, ut euitemus uetera, & ser
Rom. 15. uemus præcepta Sapientis, qui ait: Fili mi, si sapiens
Prou.23 fuerit cor tuum, lætificabis cor meum, & commorabuntur labia mea sermones tuos, si tamen recti fuerint. Et iterum: Non æmuletur cor tuum peccato-
Prou.23 res, sed in timore dei esto tota die, & dei cultum ob-
serua

serua iugiter. Vigilemus attentius, & sciamns quod
magnam nobis deus præstiterit gratiam per patrē
nostrū Pacomiū, ut renunciaremus seculo, & omnē
sollicitudinem mundi, ut curas rerum seculariū pro
nihilo poneremus. Quæ nobis occasio relicta est,
ut habeamus quidquam proprium à funiculo usq;
ad corrigiam calciamenti, cum habemus præposi-
tos, qui pro nobis cū timore & tremore solliciti sunt
tam in cibo quàm in uestitu, & corpusculi languore,
si forte obuenerit, ut in nullo timeamns, & per occa
sionem carnis animæ emolumenta perdamus? Libe
ri sumus, iugum de ceruicibus nostris mundanæ ser
uitutis abiecimꝰ, cur rursum uolumus reuerti ad uo
mitum nostrum, & aliquid habere unde solliciti su-
mus, & perdere metuamus? Ad quosusus superflu-
um palliolū, aut epulæ lautiores, aut melior lectus,
cum omnia in cōmune sint pręparata, & cruce Chri
sti nihil durius? quia iuxta quam uiuentes patres no
stri ædificauerunt nos super fundamentum aposto
lorum & prophetarum, & euangeliorum disciplinā
quæ angulari continetur lapide, domino Iesu Chri
sto, quem sequentes de mortifera altitudine ad uita
lem descendimus humilitatem, diuitias paupertate
mutantes, & delitias simplici cibo. Nolite, obsecro
uos, obliuisci semel arrepti propositi, & traditiones
patris nostri, scalas putemus ad cœlorum regna ten
dentes, ne desideretis quæ ante calcastis, sufficit no-
bis habere quod homini satis est, duo leuitonaria &
allium attritum, & palliolum lineum, duos cucullos,
zonam lineam, gallicam pellem, & uirgam cui mi-
nisterium aliquod & dispensatio est credita monaste
rij. Et si ex ea lucrū faciat, scelus putetur, & sacrilegiū

quidquam ex ea contingere, & in propriam uertere requiem, quasi despiciens eos, qui non habent, & felici paupertate sunt diuites, ut non solum ipse periret, sed & cæteros prouocet ad pereundũ. Et illi quidem qui incuruauerunt ceruicem suam, & cum omñi humilitate & afflictione lugentes atque plangentes in præsentiarum placuerunt deo, cum de corpusculo isto exierint, ducent & accumbent cum sanctis patribus Abraham, Isaac, & Iacob, prophetis & apostolis, & consolatione digna fruentur, sicut & Lazarus in sinu Abraham. Qui autem uixerunt in cœnobio, & de communi in suos aliquid aduerterunt, usus ue eis, cum de corpore exierint, dicetur illis: Memen-

Luc.16

tote quia recepistis bona in uita uestra, fratribus laborantibus, & ieiunijs, & continentia, & incessabili labore sudantibus. Idcirco uidete eos in gaudio atq; lætitia, qui reliquerũt præsentem uitam, ut futuram consequerẽtur, uos autem in squalore & tormentis ac miseria constitutos, quia noluistis euangelicũ audire sermonem, & Esaiæ cõtempsistis uerba, dicẽtis: Ecce qui seruiunt mihi comedent, uos aũt esurietis. Ecce qui seruiunt mihi bibent, uos uero sitietis. Ecce qui seruiunt mihi exultabũt, uos aũt clamabitis propter dolorẽ cordis uestri, & ob contritionẽ spiritus eiulabitis. Audistis oẽs beatitudines scripturarũ, & noluistis suscipere disciplinã. Ideo fratres æquales simus, à minimo usq; ad maximũ, tã diues q̃ pauper, concordia & humilitate perfecti, ut de nobis quoq; posset dici: Qui multum non abundauit, & qui parũ nõ indiguit. Ne quis suis prouideat delitijs, cauẽs fratrẽ in paupertate & angustia constitutum, & dicatur ei illud propheticum: Nonne deus unus creauit uos? Nonne pater unus omnium uestrum? Quare de

Esaiæ.65

2.Cor.8

Mal.2

reliquistis unusquisq; fratrē suum, ut abominabile facerent testamentū patrum uestrorū, derelictus est Iuda, sed abominatio facta est in Israhel. Quapropter iuxta illud quod dn̄s atq; saluator præcepit Apostolis dicēs: Mandatū nouum do uobis, ut diligatis inuicē, sicut, & ego dilexi uos, & in hoc sciemini, q; uere discipuli mei estis, nos inuicem amare debemus, & ostendere, quod uere simus famuli domini Iesu Christi, & filij Pacomij, & discipuli cœnobiorū. Si præpositus domus aliquē corripuerit ex fratribus, qui subiecti sunt, erudiens eum in timore dei, & cupiēs ab errore corrigere, & alius uoluerit pro eo loqui, & eum defendere, subuertens cor illius qui hoc facit, peccat in suam animā, qui subuertit eū qui corrigi poterat, et consurgente deiecit in terram atq; ad meliora tendentē mala persuasiōe decepit, errans ipse & alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruēter: Væ qui potū dat proximo suo subuersionē turbidā & inebrians eū, uæ qui errare facit cęcum in uia. Qui scandalizat quēpiam de his qui credūt deo, expedit ei, ut appendat ei mola asinaria super collū eius, & pręcipitet in mare, quia subuertit, ut dixim⁹, subleuantē se, & obedientē trāstulit ad superbiam, et eū qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, conuertit in amaritudinē, & subiectū legibus monasterij, malis cōsilijs deprauauit, fecitq; odisse eū, & contristari contra illū, qui eū docebat dn̄i disciplinā, lites serens inter fratres atq; discordias, & nō timēs illud q̄d scriptū est: Tu q̄s es, qui iudicas alienū seruū? Suo dn̄o stat aut cadit, stabit aūt, potēs ē aūt dn̄s rursum statuere illū. Considera q̄d dixerit, potens est aūt dn̄s statuere illū. Nō ille potēs est, qui uerba dn̄i pręterit

Ioan. 13

Aba. 2

Mat. 18

Rom. 14

Vnde fratres magnopere deuitemus alicuius mentem subuertere contra doctorem & monitorem suum. Et meminerimus scripturæ dicentis: Libera cor tuum à malitia, ut salueris, nec pro obedientia superbiam & contumaciam in cordibus nostris inuicem seminemus: qui enim timet dominum si uiderit fratrem suum errare & labi, magis debet mõstrare quæ recta sunt, & rectum iter ostendere, ut
Prou. 24 omni castitate & tremore dei incedens, illã Salomonis exequatur sententiam. Libera eos qui ducuntur ad mortẽ, & redimere de interfectione non cesses, nec dicas, nescio hunc. Scito quoniam deus corda omnium nouit, & Iudas in epistola loquitur sua: Et
Iudæ 1 hos quidem de igne rapientes, & odio habentes carnis commaculatam tunicam. Caueamus huiuscemodi uestimentum, & induamus potius armaturã dei, ut possimus resistere contra insidias diaboli. Nõ est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sangui-
Ephe. 6. nem, sed aduersus potestates & principatus, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Hoc quoq; maxime prouidẽdum est, ne quis in alteram domum & in alterius cellulam commendet aliquid & contra monasterij disciplinam. Qui talis est, non est in numero fratrũ, sed mercenarius & aduena. Nec pascha domini inter sanctos debet comedere, quia factus est lapis scãdali in monasterio, & de illo posset dici: lapides de uia mea proijcite: si enim leuitonaria nostra quando lauamus & sicca non fuerint, usq; ad uesperã non habemus potestatem apud nos tenere, damusq; pręposito cui crediti sumus, uel ei cui creditum est cellarium, ut deferat ad eum locum ubi uestimenta pari

ter omnium reseruantur, & mane nobis dantur, ut expandamus illa ad solem, & cum sicca fuerint, non apud nos tenemus, sed damus in commune seruandum, iuxta præcepta maiorum, quãto magis ea quæ proprie uisus es possidere, si alteri commendaueris, aut in tua uolueris esse potestate, peccas in monasterij disciplinam, & non intelligis Paulum tibi loquentem: uos autem in libertatem uocati estis, tantũ ne libertate in occasionem carnis abutamini, sed charitate seruite inuicem. Et iterum: Dominus iuxta est, nolite esse solliciti, sed estote in oratione intenti & deprecationibus. Sciat quoq; ille qui ab alio susceperit commẽdatum, ut rem se arbitratur facere piam, ut fratrem refrigeret, quod peccet contra animam suam subuertens regulas monasterij. O stulte anima tua commissa est præposito tuo, & qui animam tuam corpusq; custodit indignus habebitur, ut peritura conseruet. Amemus ut iustificemur iustitiam, legimus enim, misericordia occurrit his qui faciunt ueritatem. Hoc quoq; obseruandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, imò diaboli laqueis irretitus, dicat in corde suo: Quando morior, tunc dono fratribus quod habuero. O stultissime hominũ, ubi hoc scriptum inuenisti? Nonne oẽs sancti seruientes deo statim omnem seculi sarcinam deposuerunt? Nõne in actibus apostolorum omnia quæ habebãt, Actu. 4 ad pedes deferebant apostolorum? Aut quomodo poteris mortuus iustitiæ induere uestimentum, qui illud uiuus habere non meruisti. Quare oblitus es illud, quod scriptũ est: Quod seminauerit homo, hoc Gal. 6 & metet. Et unusquisque recipiet iuxta quod egit, & reddet unicuiq; iuxta opera sua. Et iterum: Ego do-

minus scrutans corda, & probans renes, ut reddam unicuique iuxta uias suas, & iuxta fructum adinuentionum eius. Quare nondum uersaris in uita, & in hoc corpusculo cõstitutus, non audies Dauid loquẽtem: Thesaurizat & ignorat, cui congregat ea. Et
Psalm. 38 sermonem euangelicum, auarum diuitem corripien-
Luc. 12 tem, stulte hac nocte animam expetunt à te. Quę autem pręparasti, cuius erunt? Et iterum: In illa die pe-
Psal. 145. ribunt omnes cogitationes eorum. Stulte quare nõ uis audire dominum cohortantem? Vade & uen-
Mat. 19 de omnia quæ habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & ueni sequere me. Quod adolescens audiens, cõuersus est retro, non enim erat rectum cor ipsius, & ideo non potuit grauem diuitiarum sarcinam deponere. Habebat quidem uoluntatem, ut scriptura testatur, perfectæ uitæ & splendore uirtutum trahebatur ad laudem, sed retrahebant eum currentem diuitiæ, nec poterat saluatoris audire doctrinã: quia adhuc de mundi delitijs cogitabat, unde & sal-
Mat. 19 uator loquitur: Difficile est eos qui habent diuitias intrare in regna cœlorum. Et iterum: Nemo potest
Luc. 6 duobus dominis seruire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni est obediens, & contemnet alterũ. Non potestis deo seruire, & mammonæ. Pharisæi autem cum essent auari, hæc audiebant & irridebant, quorum incredulitatem deuitemus, nec irrideamus eos, qui nos prouocant. Renunciemus mũdo, ut perfecti perfectum sequamur Iesum, Quorum animam possidet auaritia his uidetur pro Christo stulta paupertas. Quæstus est magnus pietas cum sufficientia, nihil enim intulimus in hunc mũdum, nec auferre quid possumus: habentes enim
uictum

uictum & uestitum, his contenti sumus. Qui autem 1.Tim.6
uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & la-
queum, in concupiscentias multas, quę sunt stultæ &
noxiæ, & demergunt homines in interitum & per-
ditionem: radix enim omnium malorum cupiditas.
Vsq; hodie Helias Israelem increpat, dicẽs: Quousq; 3.reg.18
claudicatis pede, si deus est, ite & sequimini eum. Et
nobis loquitur: Si mandata sunt dei quæ per patrem
nostrum tradidit nobis, & quæ sequentes possumus
peruenire ad regna cœlorum, toto eadem desiderio
compleamus, si autẽ sequimur cogitationes nostras,
& aliud tendit animus, cur non errorem simpliciter
confitemur, & ostẽdemus nos esse quod uideri eru
bescimus? ne forte dicatur & nobis: Quare polluistis Mala.1
locum meum sanctum, & eijciam eos domo mea: si
quidem conciliabula monachorum uere dei domus
est, & sanctorum uinea, sicut scriptum legimus: ui-
nea facta est Salomoni in loco qui uocatur Beela- Cant.8
mon, dedit eam custodibus, unusquisq; affert pro fru
ctibus eius mille argenteos. Vinea mea in conspe-
ctu meo est, mille Salomoni & ducenti his qui cu-
stodiunt fructum eius, ne igitur polluentes eam pro
ijciamur, sicut in Euangelio legimus, eiectos esse de
templo qui uendebant in eo oues & boues, nummula Luc.19
rios quoque ingrediens dominus atque saluator & Mar.11
faciens sibi flagellum de funiculis eiecit è templo, &
fundens æra mensasq; uendentium, & his qui uen-
debant columbas, ait: Auferte hæc omnia, & noli-
te facere domũ patris mei, domũ negociatiõis. Scrip Esa.56
tũ est enĩ: Domus mea dom⁹ oratiõis uocabit cũctis Hier.7
gẽtibus, uos aũt fecistis eã speluncã latronũ. Et alibi: Esa.52
Propter

Propter uos nomen meum blaſphematur in gentibus. Obſecro uos fratres, ne de nobis quoq; dicatur: Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. An do-
1.Cor.11. mos non habetis ut comedatis & bibatis, niſi forte eccleſiam dei contemnitis, & confunditis eos, qui nõ habent? Ad quos dicitur: Si quis eſurit, domi comedat, ut non in iudicium conueniatis. Non ſit domus noſtra uocis alienæ, ne illud nobis congruenter aptetur, opera Aegypti nõ abſtulerunt à ſe. Et iterum:
Eze.20 In præceptis meis non ambulauerunt, & ſabbata mea contaminauerunt, propterea cum clamauerint ad me, ego nõ exaudiã eos. Nõ permaneamus in cordis duritia, & ad iracundiam prouocemus deum, & fiat inimicus noſter, ac dicat: Ego autẽ dabo eis præ-
Eze.20 cepta non bona, & iuſtificationes, in quibus non uiuant: quia comederunt fructum mendatij, & adorauerunt opera manuum ſuarum. Et repleta eſt terra eorum à principio augurio, ut terra alienigenarum. Ne poſtquam renunciauerimus ſeculo, & acceperimus uexillum crucis, ſequi iterum ad poſteriora cõuerſi, quæramus refrigerium temporale, imitantes Effraim dicentem: Diues factus ſum, & inueni refrigerium mihi, ne audiamus illud, quod & ille meruit audire: Omnes labores illius non inueniuntur pro iniquitatibus, in quibus peccauit, ne & illud impleatur in nobis: Cœpiſtis ſpiritu, & nunc carne conſumamini, tanta paſſi eſtis ſine cauſa. Et ille contra
Eze.7 nos ſermo dicatur: Lex perijt à ſacerdote, & conſiliũ à ſenioribus, & manus populi diſſolutæ ſunt, ſenes de porta quieuerunt, electi à pſalmis ſuis ceſſauerunt, rurſumq; dicatur: Propter uos nomen blaſphematur in gentibus, & contemptis inſtitutionibus patris

noſtri

nostri subrepat obliuio, mediatoremq́ dei atq; sanctorum nostro uitio negligamus. Quis enim fructus, aut quod signum præceptorum dei inueniatur in nobis, aut in quā professiõe impleamus arreptã? Nonne omnia diuisimus, & auaritiæ subiacemus, & dicitur nobis: Vnde bella & pugnæ? nonne ex auaritia? nam quia unusquisq; quærit utilitatem suam, & non proximi, usq; hodie uiuens. Ezechiel propheta li sermone nos corripit, dicens: Negociatores erãt in te, filius inhonorat patrem, & pater exprobrat filio. Quid in die iudicij respondebimus, aut quid in nouissimo tẽpore pro defensione nostra poterimus obtendere? Hęc omnia facta sunt nobis, quia sacerdotes plauserunt manibus, & populus dilexit similiter, quia sicut populus, sic sacerdos. Propterea reddã ei, inquit, secundum uias suas, & cogitationes illius restituam ei. Non de omnibus uobis hęc loquor, sed de his qui maiorum pręcepta contemnunt, multoq́ melius erat illis ignorare uiam iustitiæ, quàm scientes reuerti ab eo, quod traditum est illis sancto mandato. De huiuscemodi hominibus mœrens Hieremias scribit: Defecerunt in lachrimis oculi mei, conturbatus est uenter meus, effusa est in terra gloria mea super contritione filiæ populi mei, quia defecit paruulus, & lactans in plateis ciuitatis, matribus suis dixerunt: ubi est triticum & uinum, cum deficerent quasi uulnerati in plateis urbis, cum funderent animas suas in sinu matrum suarum. Scimus quod non in fortitudine equi uelit deus, neq; in fœmoribus uiri sibi conplaceat, & iccirco reuertamur ad dominum deum nostrum, ut quando orauerimus, exaudiat nos, qui quotidie hortatur, ut uacemus & cognosca-

Tre. 2

Psal. 146.

1.Reg.23 gnoscamus eum. Et alibi loquitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad uos. Et iterum: Reuertimini ad me filij recedentes, & ego dominabor uestri. Eze-
Ezech. 18 chiel similiter contestatur ac dicit: Quare moriemini domus Israel? Nolo mortem peccatoris, tantum ut reuertatur de uia sua mala, & uiuat. Et clementissimus ac totius bonitatis caput clamat in euangelio ad nos dominus, atque testatur: Venite ad me o-
Mat.11 mnes qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Consideremus quod bonitas dei ad pœnitentiam nos prouocet, & sancti uiri cohortantur ad salutem. Non induremus corda nostra, neque thesaurizemus iram nobis in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuique iuxta opera sua, sed ex toto corde reuertamur ad do-
Eze.16 minum, & secundum Moysi uerba memorantis: Si reuertaris ad dominum ex toto corde tuo mundabit cor tuum, & cor seminis tui. Laboremus sicut bo-
2.Tim.2 ni milites Christi, & obseruemus illud quod scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, ut ei cui militat, placeat. Si autem & in agone contendat, non coronatur, nisi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus eius participare. Scriptum est: Omnes populi ibunt unusquisque in uiam suam, nos autem in nomine domini nostri magnificabimur. Ipsi impediti sunt & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Qui ambulat in die, non impingit, qui autem in nocte graditur, impingit, quia lumen non est in eo. Nos autem sicut dixit Apostolus: non

sumus filij præuaricationis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Et alibi: Omnes, inquit, filij lucis estis, & filij dei. Non sumus filij noctis neque tenebrarum. Si ergo filij sumus lucis, debemus scire quæ lucis sunt, & facere fructus luminis in omni opere bono, quod enim manifestatur, lux est. Si in toto corde reuertamur ad dominum, & in preceptis sanctorum illius, & patris nostri corde simplici conuertamur, abundabimus in omni opere bono. Quod si superemur carnis uoluptatibus, in die quasi in media nocte parietem palpabimus, & non inueniemus uiam ciuitatis, & habitaculi nostri, de quo dicitur: Esurientium & sitientium anima defecit: Quia contempserunt legem à deo sibi traditam, & uocem prophetarum non audierunt. Et idcirco non potuerunt ad promissam requiem peruenire. Vigilemus & attenti simus, si enim naturalibus non pepercit, nec nobis parcet. Non de cunctis, sed de negligentibus loquor, quibus iure aptabitur illa deploratio: Væ eis: quia recesserunt à me. Manifesti sunt, quoniam impie egerunt in me, quia dereliquerunt me fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi contritos lacus, qui non possunt aquam continere. Et quia non audierunt iudices eius, audiant dicentem deum: Constitui super uos speculatores, audite uocem tubæ. Et dixerunt: non audiemus. Vnde ista incredulitas? Nonne ex eo, quia alienos cognouerunt, & non aduersati sunt? Loquitur & alibi spiritus sanctus per prophetam: Ego enim sum deus dominus tuus, qui formaui cœlū, & creaui terram. Cuius manus condiderunt oēm cœli militiam, & non

1. Thess. 5

Rom. 11

Hier. 6

& non ostendit ea tibi, ut ambulares post illã. Quod quidem & per Moysen præcepit, dicens: Ne cum suspexeris cœlum, & uideris solem & lunam, ac stellas & omne ornamẽtum cœli, errore cœli deceptus, adores ea: Ego sum deus qui eduxi te de terra Ae-
Exod. 20. gypti, & deum extra me nescis, & qui saluos posset facere, non est præter me. Ego sum qui te paui in solitudine, in terra inhabitabili, & repleti sunt saturitate, & eleuata sunt corda eorum. Idcirco obliti sunt mei, & ego tradam eos dispersioni in gentibus cunctis. Quæ audientes qnasi de somno expergiscamur & præbeamus nos dignos domini seruituti, ut misereatur et dicat nobis: Inuocate me, & ego exaudiam
Hiere. 31 uos. Ipse enim ait: Qui dispersit Israel congregauit eum. Et alibi: Non faciam, inquit, iuxta iram furoris mei, nec sic relinquam, ut deleam Effraim. Et iterum: Non in æternum puniam uos, nec semper ira-
Hierem. 3 scar uobis. Spiritus enim à me egredietur, & omne quod inspirat ego feci. Et in eodem loco iungit, ac dicit: Dedi eis consolationem, ueram pacem super pacem his qui erant prope & lõge, dixitq́ dominus, sanabo eos. Cuius ut plene misericordiam cognoscamus, Hieremiæ sermone docet, dicens: Si eleuatũ fuerit cœlum in sublime, & si humiliatum pauimentum terræ deorsum, ego non reprobo gentẽ Israel pro omnibus quæ fecerunt. Cumq́ tanta clementia sit saluatoris domini, & nos prouocet ad salutem, conuertamus corda nostra ad eum, quia iam hora
Rom. 13 est ut de somno uigilemus, nox præcessit, dies autẽ appropinquauit, deponamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Filioli mei primum ex toto corde diligamus deũ, deinde nosmetipsos ame

amemus mutuo, memores præceptorum dei salua- toris, in quibus ait: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Non sicut mundus dat pacē, ego do uobis, in his enim duobus mandatis tota lex pendet & prophetę. Si quis in domo monasterij sub præposito manens nulla re indigens quam in mo- nasterio habere permissum est, & habet patrē fra- trem'q; & amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliā quā- libet rem, si autem comprobatum fuerit, quod mi- nus habeat de his quæ præcepta sunt, culpa atq; o- mnis correctio ad prępositum conuertetur. Vos igi tur qui estis principes monasteriorum, si quos ali- qua re uideritis indigere & esse in angustia consti- tutos, nolite eos negligere, scientes quod estis reddi turi rationem pro omni grege super quem uos spi- ritus sanctus constituit inspicere & pascere ecclesi- am dei, quam acquisiuit proprio sanguine. Propte- rea nos qui fortiores sumus, debemus infirmitates inualidorum portare, & non nobismetipsis placere, sed proximo in bono ad ædificationem: nā & Chri- stus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Oppro- bria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et ite rū: Non quęro, inquit, quod mihi expedit, sed quod omnibus, ut salui fiant. Si autem dominus ac salua- tor noster ita præcepit, & sancti ita conuersati sunt, patres quoq; nostri ita nos docuerūt, consurgamus à somno, & quę sunt nobis præcepta, faciamus. Quę cunq; enim scripta sunt, ad nostram eruditionē scri- pta sunt, ut per patientiam et consolationem scriptu rarum spem habeamus, & nullus nostrum causa sit erroris alieni, nec æmulemur eos qui prospera agūt Ioan. 14

in uia sua. Cum enim omnia carni necessaria consecuti, morientes nihil secum asportabãt, filij seculi huius habent in hoc seculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, & mundus amat quod suum est. Qui autẽ filij dei sunt, illius sermonis euangelici recordentur:
Ioan. 15 Si mundus uos odit, scitote, ꝙ me primum oderit. Et iterum: Qui uoluerit esse amicus huius mũdi, inimicus fiet deo. Et rursum: Tribulationem habebitis, sed confidite, ego uici mundum. Et iterum: Beati qui lu-
Mat. 5 gent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. De filijs autẽ noctis quid econtrario dicitur? Nonne illud? Væ uobis diuites, quoniam recepistis consolationem ue-
Luc. 6 stram. Væ uobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Væ uobis qui nunc ridetis, quoniam lugebitis ac flebitis. Quamobrem mundi amicitias deuitemus, ut illud mereamur audire: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Audiuit dominus, & misertus est mei, scidisti saccum meũ, & accinxisti me lætitia. Quis enim sanctorum nõ in luctu atq; tristitia per mundi huius transiuit uiam? Hieremias, Non sedi, inquit, cum consilio ludẽtium, sed tremebã à facie manus tuæ. Solus sedebam, quoniã amaritudine repletus sum. Dauid quoq; scribit: quasi lugens ac mœrens sic humiliabar. Quorum nos uestigijs insistentes intelligimus, ꝙ salus nostra in tempore tribulationis sit, & prophetæ pollicitatio impleatur dicẽtis: Non relinquũtur qui in angustia sunt usq; ad tẽpus. Si ergo habent tempus tribulatio & angustia, & non erit sempiterna, seminemus in la-

chrymis,

chrymis, ut metamus in gaudio, non deficientes, ꝗ nouerimus dominum de tentatione liberare cultores suos. Dominus pater noster est, dominus iudex noster est, dominus princeps, dominus rex noster, dominus nos ipse saluabit. Cuius præcepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse eñ dicit: Qui sequuntur me, possidebunt terram, & hæreditabunt montem sanctum meũ. Quem & nos possidebimus, si impleamus legem eius, & audiamus illud, quod dicitur: Mundas facite in conspectu eius uias uestras. Et iterum: Tollite offendicula de uia populi mei. Et alibi: Eijcite de consilio pestilentem & egredietur cum eo cõtentio. Qui iustum dicit iniustum, & iniustum iudicat iustum, uterꝗ in conspectu dei immũdus est. Caueamus ne dicatur et de nobis: Filij alienati sunt eis. Et illud: Filiæ Syon eleuatæ sunt, & ambulauerũt in excelso collo, & in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas, et pedibus simul ludẽtes. Et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens: Quomodo facta est meretrix ciuitas Syõ fidelis, plena iudicio, in qua iustitia dormit? Nũc aũt latrones & populus intelligẽs cõmiscebat meretrici. Tu ergo Israel ne ignoraberis, sicuti diuina meditemur, poterimus illud dicere, ꝗd et Dauid: Exultabo super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Et ꝗ dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel & fauũ ori meo. Cãtabiles mihi erãt iustificatiões tuæ in loco peregrinationis meæ. Et in alio loco: Nõ ꝓposui ante oculos meos rẽ iniquã, faciẽtes iniquitatẽ odio habui. Et nõ adhæsit mihi cor prauũ, declinãtes à me malignos non agnoscebã. Detrahentẽ in absconso proximo suo, hunc persequebar.

Mat. 5

Hier. 50

Esa. 1

quebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, ut facerem eos sedere mecum. Quorum omniũ nos imitemur opera, ut sit in diebus nostris pax & iustitia, & non nobis illud eueniat, quod alibi legimus: Super terram populi mei spinæ & fœnum consurgent, sed magis innouemns nobis noualia, & non seminemus super spinas, cumque custodierimus quæ mãdata sunt nobis, manifesti erimus, quod diligamus deũ, sicut testat̃ & in alio loco scriptura diuina: Qui audit mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur a patre meo,
Ioan.14. & ego diligam eum, & ueniemus ego et pater meus & mansionem apud eum faciemus, & ostendam ei meipsum, & uos amici mei estis, si feceritis quę ego præcipio uobis. Tollamus nobiscum multos sermones, & conuertamur ad dominum deum nostrum, & dicamus ei: Potes dimittere peccata, ut accipiamus bona, & reddamus ei fructum labiorũ nostrorum, & delectetur in nobis anima nostra. Atq; utinam pœniteat nos erroris & negligentiæ, et conuersi ad priora dicamus: Assur non saluabit nos, super equos non ascendemus, nec iam dicemus: dij nostri opera manuum nostrarum. Deus qui in te est miserebitur populi, sanabo habitacula eorũ. Rursumq; dicet de nobis: Diligam eos manifeste, & auertam iram meam ab eis. Ero quasi ros, Israel florebit ut lilium, & mittet radices suas quasi libanus. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua fructifera, & odor eius ut thuris. Reuertentur & sedebunt unusquisque in tabernaculis suis, & uiuent, & confirmabuntur frumento, florebit sicut uinea memoria eorũ, sicut odor

thuris Effraim. Quid ei & idolis? Ego humiliabo eum, & confortabo eum. Ego ut iuniperus condensa, ex me fructus eius inuentus est. Quis sapiens, & intelligit hæc, aut intelligens et cognoscit ista? Atque utinam & nos ex eo fructum afferre ualeamus, sine quo nihil boni operis fieri potest. Reuertamur ad dominum, ut de nobis quoque posset dicere: Peccatorum & iniquitatis eorum memor amplius non ero. Non relinquamus legem dei, quam pater noster ab eo accipiens, nobis tradidit, neque parui eius mandata pēdamus, ne & super nos planctus ille dicatur: Quo modo obscuratum est aurum, & immutatum argentum bonum, effusi sunt lapides sancti in omni uiarum principio, nec post plurimos labores patris nostri, quos pro salute nostra suscepit, sed ipsum exemplum uirtutis tribuens & glorians de nobis, atque apud sanctos loquens. Isti filij mei sunt & populus meus, filij mei, & nō denegabūt. Et post huiuscemodi testimonium nō perdamus fiduciam bonę conscientiæ, spoliati uestibus, quibus nos induit. Et introducti ab eo in stadium, ut legitime certaremus, non superemur ab inimicis nostris. Et postquam uenerimus ad illud tempus, quo egrediamur de corpore, ne inimici efficiamur patris nostri, thesauris seruientes, ut qui ieiunijs & afflictione corporis debuimus acquirere animæ libertatem, carni & delitijs & pulchrioribus uestimentis, stratisque mollioribus nos dedicemus, non solum ipsi pereuntes, sed & alios qui proficere potuerunt, exemplo nostro ducentes ad ruinam, de quibus scriptum est: Non accepistis spiritū seruitutis in timorē, sed fortitudinis & charitatis & pudicitiæ. Et cibus nos non cōmendat deo. Neque

Tren. 4

enim si comederimus, abundabimus: nec si non comederimus, indigebimus. Nō est eñ regnū dei cibus & potus, sed iustitia, gaudium, & pax in spiritu sancto. Qui in hoc seruit Christo, placet deo, probatus
Esa. 49 est omnibus. Esaias quoq; dicit: Qui expectant dñm, immutabunt uirtutē, assument pennas, ut aquilę current, & nō laborabunt, gradientur, & non esurient. Idcirco eleuauit signū in gentes, & cōgregabit profugos Israel. Scito, uelociter uenient, nō esurient, neque dormitabunt. Non dormient, nec soluent zonas de lumbis suis, neq; rumpētur in calciamētis eorum corrigię. Quorū iacula acuta sunt, & intenti arcus: pedes eorum ut petra fortissima. Rotæ curruum quasi tempestas, impetum facient ut leones, & aderunt ut catuli leonum. Et nos igitur sanctorum imitatores simus, nec obliuiscamur institutionis, qua nos erudiuit pater noster dum adhuc esset in corpore. Ne extinguamus lucernam ardentē, quam posuit super capita nostra. Ad cuius lumen huius seculi incedentes meminerimus, quod per studium illius deus nos in ꝓpriā familiā receperit, peregrinis hospitiū tribuēs, in maris turbinibus constitutis portū ostendens, panem in fame, umbrā in æstu, uestimentū in nuditate, imperitos præceptis spiritalibus erudiuit. Vitijs seruientes castitate circumdedit, procul positos sibi iunxit. Ne post illius dormitionē obliuiscamur tantę bonitatis, & beneficiorū immortalium, uertentes furorem in iudicium, & fructum iustitiæ in amaritudinē, et loquatur cōtra nos. Iudicate inter me & uineā meam, expectaui ut faceret fructū, & fecit iniquitatē, & non iustitiam, sed clamorē, & ueniat super nos illa maledictio, quam prophetalis sermo ille prosequitur,

quitur, & quam omni studio fugere ac uitare debemus, sequentes conuersationē eorum, qui nos in domino præcesserunt, patrū pariter ac fratrum, qui renunciantes seculo, & inoffenso ad dñm peragentes gradu, nūc eius hæreditate potiuntur, quam uereor ne perdamus nostra desidia, & illud nobis propheticū coaptetur, quod dictū est de Effraim: Oleum in Aegyptū mercatur, mixti sunt in gētibus, & didicerūt opera eorū. Ne postq̄ uocati sumus in libertatē sicut scriptū est: Tollam eos, unum de populo & duos de familia, et inducam eos in Syon, & dabo uobis pastores secundum cor meum, qui pascunt uos cum disciplina, ne soluamus uincula charitatis, & dicatur de nobis: Filius glorificat patrem & seruus dominū suum. Si pater ego sum, ubi est gloria mea? si dominus, ubi est timor meus? Idcirco nostrum clamet ad dūm: Muri Syon deducant, sicut torrentes, lachrymas die ac nocte. Ne des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui. Surge & lauda in nocte, in principio uigiliarū tuarum effunde, sicut aquam, cor tuum in conspectu dñi. Leua ad illū manus tuas pro animabus paruulorū tuorū, qui defecerūt in capite uniuersorꝫ gressuū. Ne illud cōtra nos dicatur: Luxit et corruptus est orbis: Luxerūt excelsi terræ, & terra impie egit propter habitatores suos, dereliquerūt eīm legem, & immutauerunt præcepta mea testamētum æternū. Idcirco maledictio deuorabit terrā, quia peccauerūt habitatores eius, et dereliquerūt hoīes pauci ne & nostrū uinū lugeat & uinea, & ingemiscāt, qui prius toto animo lætabantur, dicaturq; de nobis in domo, insaniā confixerunt, corrupti sunt sicut dies collis, aut illud: captio ex uobis est. Et dixistis enim,

fecistis testamentum cum inferno, & cum morte pa ctum. Quæ uerba uitantes, credimus magis quod in tē pore suo oriatur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, qui percutiet principes Moab & filios Seth, ut non sit in domo Israel stimulus furoris & spina doloris. Quia facta est domino pars eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Et alibi loquitur Hieremias: Si cessauerit in conspectu meo lex ista, & gēs Israel cessare poterit. Et rursum: Dabo laborem eorum iustis, & testamentum æternum ponam cum ipsis, & scietur in gentibus eorum, ac nepotes, omnis qui uiderit eos, cognoscet: quia isti sunt semen benedictum à deo et gaudio domini perfruantur. Et nos ergo scrutemur uias nostras & gressus dijudicemus & sequamur odorem scientiæ abscondentes semper uerba eius in cordibus nostris, ut simus immaculati in uia, & in lege domini ambulemus. Non nos terreat fragilitas corporis & longi temporis labor patris nostri, ubi sunt & prophetæ, sicut scriptum est: Nunquid in æternū uiuent? uerba aūt mea & legitima mea suscipite, quæ ego præcipio in spiritu meo seruis meis & prophetis, qui fuerunt cum patribus uestris. Sentiamus ineffabilem clementiam dei nostri, quiusque hodie ad pœnitentiam nos hortatur dicēs: Nunquid qui cadet non resurget, aut qui auersatur, non reuertetur? Quare aduersatus est populus meus auersione impudenti, & obtinuerunt in uoluptatibus suis, & noluerunt reuerti? Si reuersi fuerimus ad eum, ędificabit nos spiritu sancto, iuxta illud quod scriptū est: Aedificans Hierusalem dñs, dispersiones Israelis congregabit. Quod aūt nostri cœtus & communio ex deo sit, qua nobis inuicem copulamur

mur, Apostolus nos docuit dicens: Bonorum operum & cõmunionis obliuisci nolite, talibus enim uictimis placent deo. In actibus apostolorũ quoque idẽ legimus: Multitudinis aũt credentiũ erat cor unum & anima una, & nullus suorum quid dicebat, sed erãt eis uniuersa cõmunia, & uirtute magna dabant apostoli testimonium resurrectionis domini Iesu. Et Psalmista in eadem uerba consentit dicens: Ecce q̃ bonum & q̃ iucundum habitare fratres in unum. Et nos in cœnobijs cõmorantes et nobis mutua charitate sociati demus studiũ, ut quomodo sanctorum patrũ in hac uita meruimus consortium, ita in futuro quoque participes eorũ scimus, scientes quod crux uitæ nostræ, doctrinæ quoque principium sit, & oporteat nos cũ Christo pati, & nosse quod absque tribulationibus & angustijs nullus uictoriam cõsequatur. Beatus uir qui suffert tentationẽ, quia cum probatus fuerit, coronã uitæ accipiet. Et iterum: Laborauit in seculum, et uiuet in æternum. Si tamẽ compatimur ut & glorificemur. Aestimo, inquit, quod non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alibi scriptũ est: Existimaui ut cognoscerem, hoc labor est in conspectu meo. Et iterum: Ego aũt laboraui sequens te & diem hominũ non cõsideraui. Et in alio loco: Multæ tribulationes iustorũ, & ex omnibus his liberauit eos dominus. Et dominus noster loquitur in euangelio: Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Et alibi: Hic liber mandatorũ est, & lex scripta in sempiternũ. Omnes qui obseruauerint eam, uiuent, qui autẽ dereliquerint, morientur. Reuertere Iacob, et apprehende eum: ambula in splẽdore luminis eius, & non

des alteri gloriam tuam, & ea quæ conducunt tibi: gẽtis alienæ. Beatissimus Israel quia placita deo nostro, nota sunt nobis. Confide populus meus memoriale Israel. Et iterum Esaias loquitur: Lætare Israel & festum agite diem omnes, qui diligitis eum. Gaudete qui confiditis in eo, ut sugatis & impleamini. Habeamus curam legendarũ & discendarũ scripturarum, & in earum semper meditatione uersemur, scientes scriptum: Ex fructu oris sui uir saturabitur, & merces laborum eius reddetur. Hæc sunt quæ nos ducãt ad æternam uitam, quæ nobis tradidit pater noster, & iugiter meditanda præcepit, ut compleatur illud in nobis, quod scriptum est: Erunt hæc uerba, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & in anima tua docebis ea filios tuos. Et loqueris in eis sedens in domo, & ambulans in uia, & accubans atq; consurgens. Scribe ea pro signo in manu tua, & erũt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoq; ea in postibus domuũ tuarũ, & in liminibus, ut discatis timere dominũ cunctis diebus, quibus uiuitis. Salomon quoq; idipsum significans, dicit: Scribe ea in latitudine cordis tui. Considerate quantis testimonijs ad meditationem sanctarum scripturarũ nos sermo domini cohortetur, ut quæ ore uouimus, fide possideamus. Bonum est homini cum leuauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit, qm̃ leuabit super se iugũ, dabit percutienti se maxillã, saturabitur opprobrijs, qm̃ non semper dñs abijciet. Et alibi scriptũ est: Recordatus sum misericordiæ infantiæ tuæ. Et iterũ: Lętare iuuenis in adolescẽtia tua, & exultet cor tuũ in diebus iuuentutis tuę, et ambula in uijs cordis tui absq; macula, et in conspectu oculorum tuorum,

& scito

& scito quoniam in omnibus his adducat te dñs in iudicio. Aufer furorẽ de corde tuo, & malitiã à carne tua, qm̃ adolescentia et stulticia uanitas est. Et memento creatoris tui in diebus adolescẽtiæ tuæ, donec ueniant dies pessimi, & occupent anni, in quibus dices: Non est mihi in eis uoluntas, donec obtenebrescat sol, & lux, & luna, & stellæ, & conuertant nubes post pluuiã. In die qua mouebũtur custodes domus, & subuertẽtur uiri uirtutis, & cessent molentes, quia paucæ factæ sunt, & obscurabuntur, quæ uidẽt in foraminibus, & claudent in uas in foro, in infirmitate uocis molẽtis. Et exurgent ad uocem passeris, & humiliabunt om̃es filij cantici. Et quidẽ ab alto aspicient & pauores in uia. Et floreat amygdalum & ingrassetur locusta & scindatur capparis. Qm̃ abijt homo in domũ seculi sui, & gyrauerũt in foro qui plangunt, quoadusq; euertat funiculus argẽti, & conteratur monile auri, & cõfringatur hydria ad fontem, & impediatur rota super lacũ, & cõuertatur puluis in terra, sicut fuit, & spũs reuertatur ad dñm, qui dedit eũ. In Euangelio quoq; scriptũ est: Pueri nũquid ha- Ioan.21
betis pulmentũ? Mittite in dextrã partẽ nauis, & inuenietis. Et item: Omnis puer ac iuuẽculus qui nescit
hodie bonũ ac malũ, ipsi intrabũt in terrã bonam. Et Exod.34
rursum: Omne masculinũ q̃d aperit uuluã, sanctũ uocabit. Et in Euãgelio: Puer aũt ibat & crescebat, & ꝓ-
ficiebat apd' deũ et hoĩes. Iesus q̃q; minister Moysi iu- Luc.2
uenis erat, et nõ egrediebat de tabernaculo dei. Et de Dauid scriptũ legimꝰ: Puer flaui coloris, elegãtibꝰ oculis. Timoth. q̃q; adhuc puer & adolescens sacris lr̃is eruditꝰ ẽ, ut ad fidẽ dñi saluatoris illaꝝ semita perueniret. Et de Daniele, q̃a eruditꝰ erat, scriptũ legimus:

quod

quod uir desideriorum appellatus sit. Ioseph quoque erat dilectissimus patri suo, quia eius imperiis seruiebat,& decē ac septem adhuc natus annos præcepta illius legē uitæ suæ arbitrabatur. Et hæc cūcta replicaui,ut sanctorū uitas cōsiderantes nō circumferamur omni uento doctrinæ, sed laboremus & eorum conuersationē, nostræ uitæ propositum habeamus exemplū, ut simus populus dei peculiaris. Nec contristemur spiritū sanctum in quo signati sumus in die redemptionis, ne illud extinguamus in nobis, & prophetias nō contemnamus,ne forsitan uolenti spiritui sancto habitare in nobis,non demus locum. Nullū alium timeamus præter deū,qui ultor & iudex est operū singulorū, & cū sancto sanctus est, & cū uiro innocente innocens. Et dicit: Ego amantes me diligo, & qui me quærunt, inuenient gaudium. Et alibi loquitur: Si ambulaueritis contra me peruersi, ego ambulabo cōtra uos peruersus. Non irascamur inuicē,etiam si ira nos uicerit,non peccamus irati solis occubitū pœnitentiæ præuenientes. Meminerimus esse præceptū,quoties peccanti in nos ignoscere debemus,& munus nostrū relinquere ante altare,quod nequaq̄ suscipitur,nisi fuerit reconciliatione placabile,ut possimus dicere: Dimitte nobis debi-
Luc.11 ta nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et Apostolus præcepit: Si quis habet aduersus aliquē querimoniā, sicut & Christus donauit nobis, sic facite. Scimus discipuli mansuetudinis sanctorum
Col.3 omniū & præcipue Dauid,de quo scriptū est: Memento dn̄e Dauid,& omnis mā̄suetudinis eius. Et Moysi
Psalm.131 de quo legimus,quod mā̄suetus fuerit super oēm terram. Et dominus in Euangelio de mansuetis ac mi-

tibus

tibus loquitur: Beati mites, qm̃ possidebunt terrã. Mat.5
Magnæ sapientiæ est mansuetudinem possidere & Prou.10
audire: Sapiens esto fili, ut lætetur cor meum. Et Eph.5
iterum: Imitatores estote dei ut filij charissimi. Et: Mat.5
Estote perfecti sicut & pater uester, qui est in cœlis
perfectus est. Et alibi. Sancti estote, quoniam ego Leuit.11
sanctus sum, dicit dominus. Quæ legentes testimonia seminemus nobis iustitiam, ut metamus fructũ uitæ. Illuminemus lucem scientiæ, quia tempus est, ut cognoscamus deum, donec ueniet fructus iustitię nobis. Ecce nunc tempus acceptabile, & dies salutis. Et uere, secundum quod scriptum est: Plenitudo le-
gis est dilectio. Ioanne in hæc eadem continente, Rom.13
hoc præceptum accepimus à patre, ut diligatis inui Ioan.15
cem. Et qui diligit deum, diligat & fratrem suum, 1.Cor.8
nõ sicut Cayn, qui ex maligno erat & occidit fratrẽ 1.Ioan.3
suum. Et quare occidit eum? quia opera eius maligna erant, fratris autẽ eius bona. Non admiremur fratres, si oderit uos mundus, nos scimus, quoniam transiuimus de morte ad uitam, eo ꝙ diligamus fratres. Ergo diligamus nos mutuo. Loquar aliud ad uos audentius filij charissimi, ex eo quod credidit mihi deus cõuersationis uestræ & sanctæ communicationis gregẽ, nõ cessaui cũ lachrymis monere & docere singulos, ut placeatis deo, nec subtraxi aliquid, quod uobis utile sentiebã, ut non dicerem: Et nunc commendo uos deo & uerbo gratię eius, qui uos po-
test ędificare, & dare uobis hæreditatem cum san- 2.Ti.4
ctis. Vigilate omni studio curamꝗ; cõtendite ne obliuiscamini propositi uestri, sed implete quod uos scitis esse pollicitos, ego enim iam delibor & tempus resolutionis meæ adest. Qui certamen bonum

ex parte certaui, cursum comsummaui, fidē seruaui. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt iustitiā eius, & omnia patris mandata fecerunt. Finis
2. Tim. 4 uerbi, omnia audi. Deum time, & mandata eius custodi. Quoniam omnis homo uniuersum opus Deus adducet in iudicium siue bonum, siue malum.

FINIS.

Errata sic restitue.

Columna 3. lin. 9. unde nullus beatus. Colum. 10. li. 26. blandientis. Ibid. li. 27. delectationi. Col. 12. li. 9. ubi est sollicitudo, non. Col. 33. li. 20. uobis. ibi. li. 14. deputanda. Col. 41. li. 16. solo. Col. 59. li. 20. sudant. Col. 84. li. 1. peccati. Col. 105. li. 2. maximis. Col. 136. li. 30. admittat. Col. 135. li. 25. sapientis. Col. 142. li. 9. adlubescente. Col. 93. lin. ult. faciat.


PECCATV
FORTITVD

Prosperi
opuscula.